


MUSEUM HELVETICUM

Ad juvandas Literas in publicos
Usus apertum.

Particula XXII.



TURICI.

Litteris Conradi Orellii & Soc.

MDCCLII.

* * *

ARGUMENTA

Particula XXII. explicata.

- I. JO. GEORGII ALTMANNI Exercitatio philologica exeget. de Baptismate propter mortuos. I. Cor. XV: 29. p. 159.
- II. SAM. BATTIERII Observationes in varias EURIPIDIS Tragedias. p. 201. e MSC.
- III. JAC. BRUCKERI de CAULACAU Basilidianorum Disertatio critica. p. 229. e MSC.
- IV. Electa Epistolica ex Thesauro Epistolico HOTTINGERIANO excerpta a J. H. SCH. p. 276. e MSC.
- V. Vita & Fata J. HENR. HOTTINGERI, S. Theol. D. & Prof. apud Heidelbergenses primarii & Pastoris ad Divum Petrum. &c. p. 292. e MSC.



J. GEORGII ALTMANNI
EXERCITATIO

PHILOLOGICO-EXEGETICA

DE

BAPTISMATE
PROPTER MORTUOS.

1. Cor. XV : 29.

Ἐπεὶ τί ποιήσασιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν,
εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται; Τί καὶ βαπτίζονται
ὑπὲρ τῶν νεκρῶν;

*Quid facient illi, qui baptizantur propter mortuos,
si mortui omnino non resurgunt? Cur igitur ba-
ptizantur propter mortuos?*

ARGUMENTUM.

§. I. Exempla Sanctorum primæ Ecclesiæ sanctitate vi-
væ & animi tranquillitate instante morte clarorum, pluri-
mum contulerunt ad propagationem Evangelii inter gen-
tes, atque ex eadem hac Sanctorum morientium perseve-
rantia deducenda ratio, quare multi se baptizari volue-
rint. §. II. Dicendorum summa proponitur, atque sen-
sus hujus loci brevibus exhibetur. §. III. Nexus verbo-

rum cum præcedentibus describitur. §. IV. Disfertationis partes exhibentur. Particulam *ὑπερ* denotare hoc loco *propter*, plurimis Auctoribus probatur. §. V. Sensus hujus apertius exhibetur & explicatur. §. VI. Moshemi sententia proponitur & adjudicatur. §. VII. Variæ eruditorum sententiæ inde ab antiquissimo tempore, ad hanc usque ætatem proferuntur & examinantur. §. VIII. Quomodo Baptismus sit Sigillum resurrectionis uberius declaratur. §. IX. Applicatio ad usus praticos subjungitur.

§. I.

UT sunt plurimæ imo fere innumeræ rationes & argumenta, quæ ad propagandam & stabiliendam divini nostri Servatoris doctrinam sua contulerunt pondera, ita certe non ultimo gradu ponendum illud, quod non tantum ex constantia martyrum, veritatem sanguine suo maxima alacritate obsignantium, sed ex multorum Christianorum in fine vitæ maximo gaudio & perpetua animi tranquillitate decedentium exemplis petitur. Cum enim ultima illa fatalis hora omnibus promiscue mortalibus metum & horrorem soleat incutere, res certe mira & vere inaudita gentilibus videbatur, conspiciere hominem, qui ex hac vita ut satur conviva recedat, & qui læto pectore exoptet, illum diem jam advenire, quo corporis ergastulo liberatus, ex tenebricoso hoc terrarum specu possit emigrare, ut animam ad cœlestem illam beatorum sedem remittat; horum vero ingentem globum nobis exhibent ea tempora, quæ primæ Ecclesiæ Christianæ fuere primordia, qui nec persecutionibus, nec ærumnis vel cruciatibus potuerunt labefactari, videbant quippe gentiles Christianos præter communem hominum indolem in adversitatibus erectos

ctos, in paupertate contentos, in tribulationibus usque ad mortem gravibus lætos, & in morte tandem hilari vultu animam suam reddentes. Hac re commoti plurimi, ut relicta idololatria ad illum cœtum transirent, in quo cœlestis doctrinæ lumine adjuti, ad eandem felicitatem contenderent; Nec his defuere Apostoli, eorumque collegæ, qui id ubique agebant, ut miseros illos, cœlesti doctrina & exemplis sanctorum commotos, pleniore luce perfunderent, & tandem per baptismum in sinum Ecclesiæ reciperent. Quantum autem pondus ad convertendos gentiles, multorum fidelium, cœlestem lætitiâ morte instante probantium exempla dederint, nobis Paulus in eis verbis, quæ jam nobis explicanda proponimus probat, dum ad eos provocat, qui horum exemplis moti in gremium Ecclesiæ recipi & baptizari cupiebant, cum ait: *Quid facient illi, qui baptizantur propter mortuos, si mortui omnino non resurgunt? Cur igitur baptizantur propter mortuos.* Nemo est tam levi sacrarum literarum cognitione imbutus, qui ignoret, quam diversis interpretationibus hic locus classicus inde a primis Ecclesiæ Christianæ temporibus fuerit sollicitatus, ita quidem ut viginti quatuor diversæ omnino explicationes a diversis datæ notari possint, ex quibus autem major pars ita constituta est, ut a dormientibus, non autem ab hominibus sana ratione præditis profectæ videantur, & quæ ideo ad verba & mentem Apostoli obscurandam potius, quam ad illustrandam datæ fuerunt, hinc mihi post læctas diversas illas interpretandi rationes exclamandum fuit illud Demiphonis apud Terentium, *scisistis probe; Incertior sum multo quam dudum.* Exi-

mendi tamen quidam, qui probabili aliqua enodatione præ reliquis emicant *Lutherus, Frider. Spanhemius fil. atque Moshemius*, quorum vero explanationes una cum reliquis postea exhibendæ erunt, ut lectori ex collatione diversarum sententiarum constet, quo fundamento ea firmetur, quam nos proponimus. Nescio autem an nimis audacter pronuntiem de nostra, si dicam, illam talem nobis videri, ut non tantum sua se probet simplicitate, sed etiam sensum verborum Apostoli ita exponat, ut nullis dehinc difficultatibus sint obnoxia, nisi aliquis velit dehinc nodum in scirpo quærere, & difficultates movere, ubi leves aut nullæ sunt. Sano autem lectori eam committimus.

§. II.

Antequam autem ad nexum & tractationem verborum Apostoli deproperemus, paucis quæ nostra sit de hoc dicto sententia declarandum est, ut postmodum lectori constet, an scopus Pauli loquentis & ipsa verborum genuina denotatio hanc nostram interpretationem admittant, exponam ideo quæ de his meditati sese obtulerunt. Cum scopus sit divini Apostoli in hoc capite certitudinem resurrectionis probare, provocat tandem hoc v. 29. ad facta quorundam in cœtu Corinthiaco, qui ex observatione & contemplatione vitæ & mortis fidelium in Ecclesia Corinthiaca ita fuerant tacti & commoti, ut videntes eorum in afflictionibus constantiam, in morbis fidem, in morte appropinquante consolationem & lætiti-
am, ut eorum exemplis excitati ad professionem veritatis Apostolicæ perducerentur, & ideo se baptizari in nomen Christi exoptaverint, ita verba

ὅτι τῶν νεκρῶν vertenda sunt propter mortuos, ut postea probandum, quod autem si fiet, plana & aperta erunt omnia, quæ pro asserenda nostra hypothese erunt necessaria.

§. III.

Postquam Paulus in prioribus capitibus hujus primæ Epistolæ ad Corinthios id egerat, ut vel schismata apud Corinthios nata disolveret, vel præcepta ad vitam & doctrinam pertinentia traderet, hoc jam capite decimo quinto id agit, ut resurrectionem mortuorum probaret, hoc enim dogma vere novum erat, & gentilibus hætenus plane incognitum, ut asserit ipse *Augustinus*, qui sæpius repetit hæc verba de resurrectione disserens: *Cum credimus resurrectionem, fides nostra maxime discreta est ab omni fide gentilium, atque notum est illud Euripidis Alcest. Act. V.*

Ὅτι ἐστὶ τὰς θανάσιμας ἐς φάος μελεῖν.

Non fieri potest, ut defuncti in vitam redeant.

Hoc autem dogma ut probet, id agit primo, ut evincat & multiplici testium nube probet, Christum, qui est caput Ecclesiæ, a mortuis fuisse suscitatum, allegat hinc testem oculatum Petrum, reliquosque Apostolos omnes, atque post hos in testimonium producit quingentos fratres, qui eodem tempore & loco Dominum post resurrectionem vidissent, v. 6. Ne autem tantæ veritatis hostes Paulo objicerent, eum tale spargere in vulgus dogma, cujus ipse testis non esset, sed quod ex aliorum accepisset traditione, adjicit v. 8. *potestis vero omnium velut abortivo, visus est etiam mi-*

hi, quod haud dubie factum, cum itinere Damascum peteret, & cœlesti fulmine dejectus, hominem videbat sibi non notum, quem rogat: *Domine! quis es?* eique Servator respondit: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Act. IX: 5. Probata ideo veritate resurrectionis Christi, redarguit eos, qui aiebant nullam esse resurrectionem, concludit autem ex resurrectione capitis Ecclesiæ resurrectionem etiam membrorum, quæ habenda esset ut fructus emergens ex resurrectione Servatoris & Sponsoris nostri, & ut momentum atque pondus hujus dogmatis aperte edoceret, subjungit, *ψ. 14. Si Christus non e mortuis est revocatus, nostra fides est vana, atque nos Apostoli omnes erimus falsi testes, dicentes, Deum filium suum e mortuis suscitasse.* Post hæc ita concludit: Cum autem certum sit, Dominum nostrum resurrexisse ex sepulchro, sequitur credentes NB. etiam resurrecturos, cum Christus considerandus sit ut primitiæ, quas sequeretur reliqua messis resuscitandorum, *ψ. 20.* Asserta itaque veritate de resurrectione Christi & fidelium, novum & gentibus plane incognitum subjungit dogma de futura facie mundi post mortuorum resurrectionem & judicium universale, cum ait, *ψ. 24. Deinde erit finis, quando tradiderit Christus regnum Deo & Patri, & quando aboleverit omne imperium, & omnem potestatem & virtutem, &c. Quum autem subiecta fuerint omnia, tunc & filius subicietur ei, qui subjecit ipsi ista omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Hæc verba, quæ multis videri possunt *ἀνομήτα*, sensum habent simplicem & apertum, si dicamus, quod hæc traditio regni Patri facta, sit œconomice intelligenda, & quod sit actus ex sponsione Christi,

tum

tum etiam ex personarum œconomia, & operis redemptionis relatione fluens. Regnum tradet Christus, ut declarat sponsioni se omni ex parte satisfecisse, & nihil remanere, nisi ut Pater jam Ecclesiam redemptam, sanctam, puramque glorificet in æternum. Est ergo actus œconomicus, quia jam post plenariam satisfactionem Deus, hoc est tota S. Sancta Trinitas debet regnare in æternum, Pater autem hoc modo declarat, se agnoscere, Ecclesiam a Christo redemptam esse puram, sibi ideo gratam & acceptam, imo æterna glorificatione dignam, & quæ dehinc non Filii tantum utpote Redemptoris, sed Patris & Spiritus Sancti regnum spirituale & peculium in omnia secula futura sit. Sed redeamus ex brevi diverticulo ad quod digressi sumus ad viam. Paulus post varia certitudinis resurrectionis testimonia & argumenta, nunc eo, quem nobis explanandum proposuimus versu, provocat ad facta & exempla quorundam Corinthiorum, ex quibus probat & infert, eos de veritate resurrectionis esse persuasos, cum ait: *Quid facient illi, qui baptizantur propter mortuos, si mortui omnino non resurgunt? Cur igitur baptizantur propter mortuos?* Sensus ideo horum verborum hic est. Si non datur resurrectio mortuorum, ut quidam asserunt, quare ergo tales inveniuntur apud vos in Ecclesia Corinthiaca, qui exemplis & fide martyrum & sanctorum, qui ob spem gloriosæ resurrectionis vel cruciatus ad mortem usque alacres pertulerunt, vel aliorum, qui ineffabili gaudio horam mortis expectarunt, exemplo ducti, baptizari voluerunt, ut ejusdem fidei & consolationis participes fierent.

§. IV.

Ut jam verba Pauli eo quo convenit ordine explicemus, id agendum

Primo, ut probemus & sufficientibus argumentis & præsiis exhibeamus, Apostolum Paulum respexisse in hoc loco ad eos, qui fide morientium incitati se baptizari desiderarunt.

Secundo, quomodo baptismus sit tessera & sigillum futuræ resurrectionis.

I. Cum asserimus Apostolum hoc commate respicere ad eos in Ecclesia Corinthiaca, qui morientium fidelium exemplis tacti exoptarunt, per baptismum pio numero credentium in Christum adscribi: Jam non necesse erit aliorum sententias vel recensere vel confutare, fiet autem id, cum nostra sententia fuerit exposita, omne vero momentum nostræ interpretationis situm est in vero sensu particulæ ὑπὲρ, quæ varias in Scriptis Novi Testamenti & etiam Scriptorum Græcorum significationes assumit, quas autem recensere nostrum non est, nobis autem sufficiet probasse illam sæpius significare propter. Primum testem veritatis producimus, qui hunc significatum optime probat, licet in reliquis circa explicationem hujus loci a nobis dissentiat *Elsnerum*, Observat. Tom. II. p. 128. ὑπὲρ significat propter, ad denotandum causam ut dicunt finalem, cujus gratia omnia fiunt, quæ significatio est creberrima, sic Ὁ. 3. hujus capituli Christus mortuus est ὑπὲρ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν, propter eccata nostra, Rom. XV: 8. dico autem Jesum Christum ministrum factum esse circumcisionis ὑπὲρ ἀληθείας

ἀληθείας Θεῶν, propter veritatem Dei, & additur,
 εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς Ἐπαγγελίας τῶν πατέρων, 2.
 Cor. I: 6. εἴτε δὲ θλιβόμεθα ὑπὲρ τῆς ἡμῶν παρα-
 κλήσεως, ut perfundamini solatio, & Cap. XII: 19.
 ὑπὲρ τῆς ἡμῶν ὀκνοδομῆς. Sic Job. VI: 51. & 17:
 19. &c. Quomodo Hebr. ὅμοιοιdem sæpe notat in V.
 T. Lucianus Dialog. Mort. p. 268. Accusa igitur Mene-
 laum ὅστις ὑμᾶς ὑπὲρ τοιαύτης γυναῖκος ἐπὶ Τροίᾳ ἤγα-
 γεν, qui vos propter talem conjugem contra Trojam du-
 xit, id est, ut eam recuperaret. Demosthenes Phi-
 lipp. 4. p. 61. ὡς ὑπὲρ φιλομίας καὶ δόξης πάντα
 ταῦτα ποιεῖς, quod pro honore & gloria omnia hæc fa-
 cis, id est gloriae causa, sive ut consequaris gloriam.
 Ælianus Var. Histor. Lib. 12. Cap. 64. ὑπὲρ τῆς νε-
 κρῆ μάχῃ κατὰ πάντα σφόδρα ἐγένετο, propter defun-
 ctum Alexandrum acerrima prorsus contentio oriebatur.
 Licet vero Cl. Elsnerus nobiscum sentiat in defini-
 endo sensu particulæ ὑπὲρ, differt tamen in eo,
 quod putet, baptizatos fuisse in Ecclesia Corin-
 thiaca illos, de quibus Paulus loquitur, ut veni-
 ant ad mortuos, habeantque spem resurrectionis:
 Hoc ego saltem concludo ex ejus verbis, quæ
 non statim sensum apertum fundunt, cum ait
 loc. cit. Ego hunc locum vertendum existimaverim,
 nam quid facient, qui baptizantur propter mortuos,
 b. e. ut veniant descendantque ad mortuos, sintque
 mortui. Hunc vero esse significatum mentis &
 verborum Pauli, ego mihi hæcenus persuadere
 non possum, explicationem ideo Viri doctissimi
 suo loco relinquimus, sufficit nobis cum Elsnero
 probasse ὑπὲρ sæpe apud Græcos significare propter
 atque causam cur aliquid fiat: Sunt autem etiam
 adhuc alii Viri docti, qui hoc probant, fecit id
 Erasmus Schmidius in notis ad h. l. cujus verba da-

mus: ὑπὲρ significat etiam propter, ob, causa, sive meritorie, seu ob causam antecedentem, sive finaliter, quod autem semper ex contextu dijudicandum est. Isocr. Evag. ὑπὲρ ὧν ἡμεῖς μὲν αὐτὸς ἐτιμάσαμεν ταῖς μεγίσταις τιμαῖς. Quorum causa, ob quas causas antecedentes, nos eos maximis honoribus affecimus. Demosth. οἱ πλείστοι ὑπὲρ τῆς συμφέροντος τῆς ἰδίας τὰ πολλά λέγουσι τε καὶ πράττεισι. Plurimi privati commodi causa pleraque dicunt & faciunt. Sunt autem quaedam loca in N. T., in quibus sensus apertus clamat, quod in illis vocula ὑπὲρ nullam aliam significationem possit admittere, quam eandem hanc quam probamus; sic Joh. XI: 4. de morbo Lazari mortui & resuscitati dicitur, quod contigerit ὑπὲρ δόξης τῆς Θεοῦ, propter gloriam Dei, nec aliter Rom. XV: 9. τὰ ἔθνη ὑπὲρ ἐλέους δοξάζουσι τὸν Θεόν, gentes propter misericordiam qua fruuntur, glorificare Deum. In versione τῶν LXX. eadem hæc particula aliquoties adhibetur, ut vicem sustineat τῆς propter, vel causæ finalis, quod recte notavit *Abrah. Trommius* Concord. Græc. Tom. II. p. 603. Nec hanc observationem omisit *Francis. Vigerus*, in erudito libello de Græcæ dictionis Idiotismis p. m. 452. ubi adductis testimoniis probat voculam hanc cum Genitivo constructam sæpissime significare propter. His etiam calculum suum addit *Job. Cloppenburgius* Disput. select. XIV. Oper. T. I. p. 662. Cujus verba exhibemus: *Superest quinta expositio Grammatica, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quod idem ac ἐνεκα τῶν νεκρῶν, id est, propter mortuos, quæ quin proba sit ad literam, non patitur nos dubitare* B. C. Bertramus & G. J. Vossius, quorum ille *Scripturæ phrasiologia*, hic ex *Eustatio* interpretationem ὑπὲρ cum Genitivo pro ἐνεκα confirmarunt. Insigne est illud ὑπὲρ Χριστοῦ πά-

σχεῖν, quod rectissime sine ulla ellipsi interpretamur, propter Christum pati. Plura jam in hanc rem colligere atque producere non libet, cum ea quæ adducta sunt, lectorem quemvis possint convincere, versionem nostram Genio Linguae Græcæ esse conformem.

§. V.

His jam positis haud dubie manifestum erit, quid verba Pauli τὶ ποιήσουσι οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν significare possint, quid facient qui baptizantur propter mortuos &c. Si jam hanc significationem, quæ est plana, simplex atque genio linguae conformis, admittamus, non opus erit ad sensum aliquem vel mysticum aut absconditum decurrere, quia facile tum apparet, Apostolum respicere ad illos Christianos inter Corinthios, qui doctrinae a Paulo prædicatae nomina sua ideo dederunt, quia ex vita & morte quorundam fidelium, & in solidissima spe & consolatione de futura corporum suorum resurrectione morientium, ita fuere excitati, ut spreta & abjecta idolatria gentili ad castra Christianorum transirent, atque hoc eo magis est veritati consentaneum, cum illis esset res nova & plane inaudita, videre homines certa spe & fiducia in pectore ita firmatos, ut tribulationes omnes flocci haberent, pericula propter nomen Christi subeunda contemnerent, paupertatem & afflictiones erecto capite perdurarent, & morte jam instante tantam lætitiæ præ se ferrent, ut aliter judicare non potuerint, quam hæc esse potentia divinae & supernaturalis præsentissima testimonia, quia omnia Philosophorum dogmata nihil tale hæctenus hominibus exhibere potuerant, quibus mors, commu-
nis

nis ille omnium mortalium terror & hostis, læta & desiderabilis reddi potuisset. Sunt autem illi mortui, quorum causa quidam fuere baptizati non tam beati Martyres primitivæ Ecclesiæ, ut vellet *Frid. Spanhemius Oper. Tom. III. p. 615.* Cum numerus eorum tempore Apostolorum erat perexiguus, ut ipse fatetur *Hist. Eccles. N. T. p. 564.* Sed præcipue Christiani in Ecclesia Corinthiaca, qui ex sensu gratiæ divinæ, & certa Spiritus Sancti illuminatione & obsignatione, appropinquante hora mortis, hilari vultu & emphaticis sermonibus tanta certitudinis futuræ gloriæ & suæ resurrectionis dederunt testimonia, ut ita adstantes Gentiles de Doctrinæ Christianæ veritate persuasi, decreverint ad eum cœtum se convertere, apud quem viventes & morientes tanto solatio & gaudio perfunderentur. Objici quidem potest, nulla nobis de his constare ex annalibus Ecclesiasticis monumenta, sed ad hæc facile respondetur, si supponamus, quod res est, fuisse scil. apud Corinthios fideles, magna illuminatione & gratia Spiritus Sancti gaudentes, qui non valentes tantum, sed & morti vicini, eadem proferebant, quæ a Doctore suo Paulo acceperant, se desiderare exui corporis ergastulo, ut fiant angelis similes, & quæ sunt alia, quæ in Epistolis Pauli de certa illa & invicta æternæ gloriæ & immortalitatis spe passim leguntur, an autem exempla & confessiones martyrum non etiam aliquid ad hos homines movendos contulerint, nostrum non est definire, est ideo conjectura, quæ nec sufficientibus argumentis probari, nec contrariis refelli potest: Fuisse autem morientes fideles apud Corinthios, qui placide & naturali morientes

morte

morte diem obierunt supremum, & qui ad limina mortis constituti, ingentem in Servatorem suum fiduciam vultu, gestibus atque sermonibus declararunt, ita certum est, ut mihi non ineptum tantum, sed & impium videretur dubitare, nisi quis asserere vellet Ecclesiam Corinthiacam hominibus, ore tantum nomen Christi profitentibus, apud quos nulli fructus fidei & spiritualis vitæ testimonia invenirentur, constitisse.

§. VI.

Exposui jam ea, qua fieri potuit, brevitate meam in difficillimum hunc locum sententiam, quæ se mihi de his meditati obtulit, atque mihi certe mirum videbatur, neminem hactenus hanc explicationem orbi litterato exhibuisse, ad illam tamen proxime accedit Celeb. *Moshemius* in suo Comment. in Priorem Epist. ad Cor. p. 973. dum vero difficillimum hunc locum perpendit, primo quidem libere fatetur Vir illustris, omnes eruditorum explicationes hactenus datas, magnis subesse difficultatibus, ita quidem ut earum nullam suam facere atque ut certam eligere potuerit, dum autem suam nullis argumentorum præliis firmatam proponit, hoc baptismum factum esse prope lectum emortuale, sibi persuadet: Quod autem mihi pace Viri celeberrimi admodum dubium & incertum videtur, si enim quidam gentiles se voluissent baptizari prope lectum morientis, Apostolo dicendum fuisset, illos fuisse baptizatos, non propter mortuos, sed propter morientes, hinc nobis melius videtur dicere, istos homines piis defunctorum exemplis motos se baptizari desiderasse, postquam tales fideles morientes viderant.

rant, hoc vero lubens concedo Viro celeberrimo, Apostolum non de multis, sed de quibusdam tantum hoc loco sermonem facere, qui sancta & placida morte fidelium impulsii, in Ecclesiam Corinthiacam per Sacramentum baptismi se recipi desiderarunt.

Post expositam interpretationem nostram, brevissimis jam verbis potissimas vel veteres vel recentiores enarrabimus sententias, ne aliquis obijcere possit, me velle novam obtrudere, cum forsitan ab antecedentibus jam tales datæ fuissent explanationes, quæ sensum verborum Apostoli dilucidare potuissent, diversas autem sententias collegerunt Viri doctissimi, *Henr. Mullerus* in peculiari Dissertatione de Baptismo pro mortuis, quam *Thesauro Philologico Tom. II. p. 563.* inseruit *Godfredus Menthenius*, atque post eum *Wolffius* in *Cur. Philolog. & Crit. Tom. III. pag. 536.*

§. VII.

I. Prima & antiquissima est ea, quam dedit *Ambrosius* *Comment. in 1. ad Cor. XV: 29.* *In tantum, inquit, ratam & stabilem vult ostendere resurrectionem Paulus, ut exemplum det eorum, qui tam securi erant de resurrectione ut etiam pro mortuis baptizarentur, si quem forte mors prævenisset, timentes, ne aut male, aut plane non resurgerent, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur.* Fuerunt etiam post *Ambrosium* alii, qui credebant *Paulum* ad hunc morem respexisse, quos jam in medium producere, nostri non est instituti; sed displicuit dudum hæc explicatio, cum certo constet ex *Annalibus Ecclesiasticis*, quod equidem tale
mor.

mortuorum baptisma olim fuerit in usu, sed non tempore Apostolorum, cum Cerinthiani primi hujus ritus fuerint Auctores, ut id probat Vir nunquam sine laude vocandus *Jo. Casp. Suicerus* Thesaur. Ecclesiast. Tom. I. p. 642. & post eum *Joseph Bingham* Orig. Eccles. Tom. IV. p. 188. Ex omnibus vero argumentis, quæ contra hanc explicationem pugnant, illud mihi semper validissimum, præter id quod modo fuit citatum, esse videbatur, quod Apostolus Paulus haud dubie hunc ritum utpote Idololatricum non citasset tantum, sed & redarguisset, si equidem tempore Apostolico jam in usu fuisset.

II. Secunda est ea, quam accepimus ab *Epiphano*, qui tradit Hær. XXVIII., quod Apostolus respexerit eos, qui Clinici & morti vicini baptizabantur, ut suam hoc modo fidem in Christum & futuram resurrectionem probarent. Verum hæc explicatio a longo jam tempore fuit rejecta, ægroti enim & morti vicini non sunt mortui, nec certe facile quis explicabit, quomodo ex baptismo ægrotorum explicari possint verba Pauli, & recte de hac interpretatione judicavit *Suicerus* modo laudatus Tom. I. Thes. Eccl. p. 641. *Quomodo vero tales ὑπὲρ τῶν νεκρῶν βαπτίζονται, dici queant, ego capere non possum.* De hac sententia idem fert judicium *J. Henr. Heideggerus* Comment. in I. Cor. XV: 29. p. 161.

III. Diversam a duobus præcedentibus interpretationem dedit *Hieronymus*, qui in Comment. ad h. l. hæc habet: *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus, id est, jam*

commortui cum eo sumus, quid ergo prodest, nos huius mundo mori, si hunc contemptum voluptatum non sequitur vita aeterna? Item hoc est quod dicit, quia non solum propter remissionem peccatorum baptizantur, sed & propter resurrectionem carnis nostrae, carnem autem nostram Apostolus mortuam appellat, quoniam hac morte anima non moritur, unde increpando ait; Aut quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? hoc est, quid opus est baptizari carnem, si non resurgat? Quid de hac interpretatione sentendum sit, meum non est decernere, cum autem ea nec olim nec posterioribus temporibus fuerit recepta, illam suo loco relinquendam esse putamus.

IV. Aliam dedit Chrysostomus Homil. XL. in I. Cor. XV. quae cum praecedente aliquid commune habet, ludit enim in voce *mortui*, ita solebant saepius quidam Patrum & veterum Scriptorum Ecclesiasticorum. Chrysostomus per mortuos intelligit corpora baptizandorum, quae omnino moritura essent, ita ut sensus sit, quod baptizari propter mortuos tantum valeat, ac baptizari propter corpus moriturum, cui vero per baptismum resurrectio corporis promittitur & obsignatur. Invenit haec explicatio ut olim, ita & posteriori aetate quosdam laudatores, quos jam proferre nimis prolixum foret. Cornelius a Lapide in Comment. ad h. l. eam omnibus reliquis praefert, cum autem ea nobis videatur nimis artificialis & longe petita, eam nec laudare nec refellere est animus, hoc autem quilibet per se facile videbit, quod verba Apostoli Pauli simpliciora sint & planiora, quam

quam ut longe quæsitam explicationem ferre possint.

V. Sequitur *Sedulii* explicatio, quæ equidem præcedentibus est clarior, sed quæ tamen nec veterum nec posteriorum interpretum calculum tulit, ita enim ille commentatur ad hæc verba: *Pro mortuis, id est, mortuis operibus, quæ generant mortem, impetrata scil. eorum per baptismum remissione absolendis.* Plura ad hanc sententiam notari possent, si mens esset diversas explicationes prolixius exhibere & examinare. Ingentem Apostolum hoc loco voluisse ellypsin statuere, & illam vocem *Ἔργων, operum,* voluisse omittere, nequaquam videtur verosimile, licet vero hæc interpretatio talis sit, ut apud eos, qui verba Apostoli probe pensitant, haud facile admitti possit, placuit tamen *Thomæ Aquinati* & aliis ex Pontificiis, qui per mortuos peccata & crimina hominum intelligunt.

VI. Post diversas Patrum sententias novam dedit *Lutherus* in not. ad h. l. quæ est elegans & simplex, & quæ ideo etiam multorum calculum meruit, putat quippe Vir magnus Paulum respexisse ad illam veterum consuetudinem, qua super sepulchris martyrum, qui pro fide in spem futuræ resurrectionis mortui sunt, gentiles ad Ecclesiam accedentes baptizabantur. Hanc suam fecit *Piscator* & *Glassius*, *Philolog. Sacr. p. m. 1063:* *cujus verba hæc sunt: Qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, super mortuos, tantum valet ac ὑπεράνω, quæ vox Hebr. X: 5. usurpatur, loquitur Paulus de ritu baptizandi super mortuorum sepulchra, quod fuit Symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum.* Huic interpretationi nihil plane deest, quam quod hic ritus baptizandi super sepulchra Martyrum

non ad eam accedat antiquitatem, ut ullo modo probari posset, id jam factum esse tempore Apostoli Pauli in Ecclesia Corinthiaca, & hæc est sola ratio quæ movit plurimos ex eruditissimis Philologis cur Lutheri interpretationem non acceperint, estque, ut quilibet facile perspicere potest, satis valida, hinc omnino concludo cum *Josepho Binghamio* Orig. Eccles. Tom. IV. p. 191. quod hæc consuetudo non sit satis antiqua, ut Apostolorum tempore ad eam alludi potuerit. Consuetudo hæc primum nata videtur in loco martyrii sancti Patris Polycarpi, Smyrnenis Episcopi, cujus vincula & obitum in publicam omnium fidelium ædificationem descriptam habemus, in peculiari Epistola de Martyrio Polycarpi, quam dedit Ecclesia Smyrnenis ad illam quæ erat in Philadelphia & reliquas tum temporis plantatas ubique terrarum Christi Ecclesias, extat illa in collect. Epistol. Patrum Apostolicorum Tom. I. p. 191. Longe autem differt annus ejus emortualis ab eo, quo Paulus primam suam scripsit ad Corinthios Epistolam, atque ita sentiunt Viri Celeberrimi, inde *Gulielmus Cave* in Hist. Lit. Eccl. Tom. I. p. m. 44. *De anno quo martyrium passus sit Polycarpus, variant Scriptores. Eusebius illum reponit in Annum Christi 167. Usserius & Bucherius in Annum 169. Petitus in Annum 175. doctiss. vero Pearsonius noster Anno Christi 147. eum passum esse strenue contendit, quod prolixè, neque uno argumentorum genere demonstrat. De anno vero scriptæ primæ Epistolæ Pauli ad Corinthios non multa controversia, quippe quam potissimi Viri docti putant scriptam anno Christi LIX. ut id probare contendit Pritius* &

& ejus Commentatores ad Introduct. in Lectio-
nem N. T. p. m. 253.

VII. Aliquid commune cum quibusdam opi-
nionibus Patrum habet explicatio *Calvini Com-*
ment. ad hoc comma, Oper. Tom. VII. p. 207.
Edit. Amstel. in qua tamen adhuc fluctuare vide-
tur, ut patet ex ejus verbis, quæ hæc sunt: *Ali-*
quando putavi universalem Baptismi finem designatum
fuisse a Paulo, (neque enim Baptismi utilitas continetur
hac vita) sed quum postea accuratius verba expende-
rem, animadverti Paulum hic aliquid speciale attingere,
non enim de omnibus loquitur, quum dicit; Quid fa-
cient, qui baptizantur? Deinde non amo argutas in-
terpretationes, quæ non perinde sunt solidæ. Quid er-
go? Baptizari pro mortuis dico, qui jam mortui cense-
antur & qui de vita omnino desperaverint, atque ita
particula ὑπὲρ valebit Latinum pro, ut quum dicimus,
habere pro derelicto; quæ significatio non est coacta, vel
si magis placeat significatio, Baptizari pro mortuis, erit
sic Baptizari, ut mortuis, non vivis proffit, scitur au-
tem, statim ab initio Ecclesiæ eos qui Catechumeni erant,
& in morbum inciderant, si imminerebat certum mortis
periculum, Baptismum solitos esse petere, ne ante mi-
grarent ex hoc mundo, quam nomen Christo dedissent,
idque ut secum ferrent salutis suæ obsecrationem. Ex
his satis videmus, quod Calvinus, pro ingenti
qua pollebat perspicacia, non certo voluerit defi-
nire, quænam certa & legitima esset loci hujus
difficillimi solutio, hinc duas profert, quarum
utramque ponit probabilem, sed certe & prior
& posterior suis urgetur difficultatibus, & prima
quidem, quia ille, qui morti est vicinus, hæcte-
nus antequam animam reddiderit, mortuus vo-

candus non est, aliàs Paulus non νεκρὸς, sed ἀπο-
 θνήσκοντας dixisset, & probe notandum, quod
 etiam observatum a Scaligero Epist. p. 508. quod
 magna insit emphasis articulo τῶν νεκρῶν, quod si
 enim simpliciter Paulus posuisset, quod baptizen-
 tur ὑπὲρ νεκρῶν, facilius hæc admitti posset expli-
 catio. Eadem hæc observatio etiam aliquid con-
 ducit ad dijudicandum alteram sententiam Calvi-
 ni, qua ad lectos ægrotantium devenit. Sed po-
 namus morientem pro mortuo haberi posse,
 cum tamen possibile sit multos qui in agone vi-
 tæ constituti videntur, ad vitam sæpe redire,
 tamen hæcenus nondum probatum Baptismum
 Clinicorum jam ætate Apostolorum fuisse in usu,
 nec certe loca ex Scriptis Apostolicis aut primo-
 rum Patrum exhiberi possunt, ex quibus con-
 cluderetur, hunc ritum tantæ esse antiquitatis, ut
 ejus usus tempore prædicationis Apostoli Pauli
 jam innotuisset.

VIII. *Calvino* jungendus est *Beza*, qui autem
 in explanatione hujus loci non multorum calcu-
 los meruit, totum enim hoc comma interpreta-
 tur de ablutione cadaverum demortuorum, quæ
 apud Judæos, Græcos & Romanos in usu erat.
 Verum est, imo verissimum talem demortuorum
 ablutionem olim in usu fuisse, sed quid tum?
 Ejus verba sunt prolixiora, sed mentem *Bezæ*
 pauca indicant, quæ hæc sunt: *Quid tandem se fe-*
cisse deprehendent, rem videlicet inutilem qualis est Ca-
daveris ablutio in sepulchro, sic penitus absumendi ut
nulla spes resurrectionis supersit. Et quid judicandum
 de hac sententia? certe quantum video nil, quam
 quod

quod sæpe evenit, bonum scil. aliquando dormire Homerum.

IX. Diversam ab omnibus hæcenus recensitis explicationibus excogitavit magnus Sedis Romanæ Heros Bellarminus, Exercit. Bibl. pag. 649. Est igitur hæc expositio vera & germana, quod heic Apostolus loquatur de baptismo lacrymarum & pœnitentiæ, qui suscipitur orando, jejunando, eleemosynas faciendo &c. ita ut sensus sit; Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgent? h. e. quid facient, qui orant, jejunant, gemunt, affligunt se pro mortuis, si mortui non resurgunt? Hæc expositio verissima est, duas ob rationes, primo, quia baptizari passim in Scriptura & Patribus accipitur pro affligi, Maro. X. Luc. XII. Nazianzenus Orat. de Epiph. Deinde, quia ipsa pœna purgatorii a Scriptura & Patribus vocatur baptisma Matth. III. ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne. Et paullo post; Itaque elegantissime Apostolus dixit, eos baptizari pro mortuis, qui affligentes se oratione & jejunio sumunt in se partem illius baptismi ignei, quo animæ baptizantur in purgatorio. Hanc explicationem ab omni verisimilitudinis umbra remotam, tota armenta Ecclesiæ Romanæ sequuntur, & ubi Doctor purpuratus qualis Bellarminus erat, agmen ducit, ibi minoris ordinis, cucullati, albi, nigri & cinericei sine periculo sequuntur. Dicendum tamen fuisse quosdam honestiores & naturiores, ut est Cornelius a Lapide, Libertus Fromondus & alii, qui cum viderent, quam impune Bellarminus illis vellet palpum obtrudere, ad alias secedebant explicationes: nihilominus tamen ex hoc loco impudenter pro purgatorio argumentatur, & inde recte observat Andreas Rivetus, Ifag.

ad Scriptur. Cap. XXIII. p. 989. quod sit ineptum & ridiculum ex sententia vel explicatione, quæ adhuc opinione constat, argumentum petere pro purgatorio; Sed certe non male, ubi aperta desunt, ibi ad talia decurrendum, quæ obtorto collo ad rem rapiuntur. Ego autem lubens fateor, quod mihi a risu temperare haud potuerim, cum prima vice hanc Bellarmini explicationem legissem, ita enim persuasus sum, quod hic Doctor purpuratus, qua erat eruditione & ingenii elegantia a risu non abstinuerit, cum hæc scriberet, ita enim explicatio manifeste est inepta & falsa, ut qui vel parum ultra animalia terræ sapit, facile videat, verbis Apostoli vim inferri, & quid fiet de Scriptura, ubi ad talem sensum allegoricum decurri potest in verbis, quæ sensum clarissimum fundunt? Sed hæc est auctoritas Ecclesiæ, & Doctorum majoris abollæ, fingere & refingere pro lubitu, atque his non minus quam pictoribus.

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

X. Displicuerunt omnes hæctenus recensitæ interpretationes Viro & ingenio & eruditione summo *Danieli Heinsio*, qui Exercit. sacr. p. 407. vivos pro mortuis baptizari putat, quando mortuorum nomina vel infantibus vel etiam adultis imponebant, ut defuncti sic vivere & superesse viderentur, qui mos ex circumcissione fluxit. Hanc suam sententiam Vir doctus ita longo sermone exornavit; Est ea quidem satis egregia, sed si accuratius cum verbis Pauli comparetur, certe ex communi Philologorum suffragio talis habebitur,
ut

ut menti Apostoli loquentis non in omnibus respondeat, nec facile quis affirmabit, quod homo vel infans, cui in baptismo nomen defuncti imponitur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν baptizatus dicatur.

XI. Hunc nodum sibi etiam solvendum proposuit doctiss. Ludovicus de Dieu, Crit. sacr. p. 703. qui hæc habet: *Quot quot in Ecclesia baptizantur, non pro se tantum, sed & pro mortuis fidelibus baptizantur, non ad eos juvandos, aut eorum loco, sed ad stabiliendas indefinenter promissiones fæderis, ipsis factas, & adhuc implendas, adeo ut quamdiu & quoties baptismus administratur in Ecclesia, tamdiu & toties renovetur facta mortuis promissio, Deum esse Deum ipsorum, & quia Deus non est Deus mortuorum sed viventium, itaque etiam vivere ipsos Dei promissione, quocirca necesse esse, ut & mortui aliquando vivant actu.* Plurima occurrunt in hac expositione quæ notari possent, fecit id Mullerus, Dissert. ad h. l. jam supra citata, quæ jam exscribere nolumus. Hoc vero in sententia doctissimi Viri observandum videtur, quod a Mullero est omissum, Paulum hoc loco non loqui de baptismo, ut contendit de Dieu, sed de quibusdam tantum, qui in Ecclesia Corinthiaca baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, nec heic certe vocula ὑπὲρ hanc explicationem, si rem bene inspiciamus, ferre posset, ut crederemus, Paulum loqui de baptismo in genere, quo resurrectio defunctis obsignaretur.

XII. In hanc classem etiam vocandus Coccejus magnus Scripturæ Interpres, qui Cornelii Bonaventuræ Bertrami sententiam adoptavit, Oper. Tom. IV. p. 137. sic autem hic in lucubrationibus Fran-

kentalensibus Cap. VIII. num. V. 2. Propter mortuos βαπτίζεσθαι, inquit, intelligendum est de lotionibus illis, quibus Hebraei viventes illas pollutiones eluebant & expurgabant, quas contraxissent vel ex contactu mortuorum, vel ex eo, quod animam exhalantibus adfuissent, eorumque modo mortuorum tabernaculum aut sepulchrum aggressi fuissent. In hac interpretatione omnino Viri isti eruditissimi vocem hebr. *hy* & Græcor. *ὕγις* recte vertunt propter, sed an reliqua hujus sententiæ cum scopo Pauli conveniant, vehementer dubitamus, cum admodum difficile sit concipere, Apostolum talem lotionem, purificationis gratia institutam citare voluisse pro argumento, quod illi, qui ita lavantur, de resurrectione mortuorum sint persuasi, cum talis lotio equidem fuerit apud Judæos suscepta & usitata, sed ideo tantum, ne impuritas ex cadaveris contactu remaneret. Adde & hoc; quod Paulus ad Corinthios scribens, ad Gentiles potissimum scripserit, apud quos tales purificationes non perinde ac apud Judæos erant in usu, licet enim apud Græcos & Romanos purificationes vel lustrationes propter demortuos fuerint communes, non tamen illæ fiebant tali modo, ut apud Judæos, quia se aqua tantum aspergebant, quem ritum describit Casaubonus ad Theophrast. Cap. XVI. *περὶ δαιμονιασμάτων*, p. 339. Moris erat ad fores privatorum ædium, dum funestæ essent, & dum fiebat *περὶ θένος* defuncti, vas magnum constitueretur, aqua lustrali plenum, quæ esset a domo non funesta allata, qua aqua se quisque egrediens aspergeret, qui ad exequias venerat, idque vas siglinum fuit, & *ἀργύριον* vocabatur, hujus rei Auctor est Pollux Lib. VIII. Cap. 7. Aristophani dicitur *ὄστρονον*. Ritus etiam non dissimilis

similis apud Romanos, testis est Festus. Funus profecto quati redeuntes ignem supergrediebantur, aqua aspersi, quod purgationis genus vocabant suffitionem. Cadaverum vero primam equidem purgationem faciebant aqua, veram autem igne perficiendam putabant, toto corpore combusto. Lomejer de Lustrationib. pag. 361.

XIII. Explicationem sibi privam & a nemine quantum novi probatam dedit doctiss. Alex. Morus in notis ad h. l. qui putat τῶν νεκρῶν positum esse per enallagen τῆ νεκρῆ, & per hunc νεκρῶν mortuum, intelligit Christum, ita ut baptizari pro mortuis, idem sit, ac baptizari Christo & nomine Christi, verba ejus prolixiora nolo jam exscribere, non enim id agendum, ut pagina turgescat. Quid de hac interpretatione viri doctissimi habendum sit, meum non est definire, hoc vero dixisse nemo vitio vertet, quod tales figuræ Rhetoricæ absque necessitate statui non debeant, nec certe veritati est consentaneum, talem enallagen hoc loco statuendam esse, nec contextus verborum Pauli hanc admittit.

XIV. Dum in eo sumus, ut diversas eruditorum in locum vexatissimum sententias exhibeamus, non omittenda est sententia doctissimæ Annæ Mariæ a Schurmann, quæ extat Opusculor. p. 97. summa sententiæ nobilissimæ Virginis, quam prolixioribus verbis proposuit hæc est. 1. Quod totus hic versus 29. sit ironice intelligendus. 2. Quod particulam ὡς πρέπει debeamus interpretari per propter. 3. Quod illi mortui, propter quos quidam ex Ecclesia Corinthiaca fuere baptizati, fuerint fideles

eo tempore adhuc viventes, & secundum illam Paulus dictione ironica per mortuos intelligit homines quosdam illuminatos apud Corinthios viventes, quos Apostolus ideo vocet *mortuos*, quia ex opinione gentilium trucidandi fuissent, eo tempore autem viverent & secundum quorum exempla & doctrinam alii fuissent baptizati, sed non tam baptismate aquæ, quam afflictionum. De hac interpretatione, quid sentiendum sit, haud dubie nemo non per se videt; Ironias ex sacris literis esse eliminandas, dudum decreverunt veri nominis Theologi. Notandum porro, quod duplex tropus in his Apostoli verbis vix admitti possit, cum sensus literalis sit simplicissimus.

XV. Ex longo agmine interpretum jam comparet Vir de Ecclesia & bonis literis optime meritus Jo. Cloppenburgius Opuscul. Tom. I. p. m. 663. Disp. Selectar. XIV. Verba ejus hæc sunt: *Fruatur quilibet suo sensu, nobis quidem placet I. ut non alius intelligatur baptismus, quam ille, quo Christianismo initiabantur fideles. II. Ut τῶν νεκρῶν no- tet certos quosdam mortuos. III. Ut ὑπὲρ τῶν νεκρῶν sit ἕνεκα τῶν νεκρῶν, propter mortuos, ad officium mortui debitum, per certos autem mortuos intelligimus illos, de quibus sermo inchoatus fuit ὧ. 6. qua Apostolos, qua alios fratres ex quingentis oculatis testibus resurrectionis Jesu Christi, τινὲς δὲ ἐκοιμήθησαν quidam etiam obdormiverunt, & nonnulli martyrio coronati, Stephanus Actor. VII: 60. Jacobus Actor. XII: 2. Ad certos illos mortuos, post interjectam exegefin resurrectionis futuræ, & consummationis seculi redit sermo ὧ. 29. ad viventes superstites ὧ. 30. Ego equidem lubens fateor, quod hæc explicatio inter omnes hæc-*

hactenus recensitas sit ea, quæ ob simplicitatem suam proxime ad genuinum sensum verborum Apostoli accedit, dandum ideo Viro doctissimo, quod Paulus per Baptismum illud Sacramentum intelligat, quo nos Ecclesiæ iniciamur. Damus etiam, quod Paulus non de magno numero, sed de certis quibusdam mortuis hoc commate loquatur, damus porro, particulam ὑπὲρ commodissime hoc loco vertendam esse per *propter*, an autem quidam ex quingentis fratribus ob fidem in Christum apud Corinthios fuerint martyrium passi, mihi valde est incertum, atque hæc sola causa est, quare non possimus in omnibus accedere sententiæ Viri doctissimi.

XVI. Nec omittenda explicatio *Cass. Erasmi Brochmanni*, qui in *System. Theol. Part. III. art. de morte* asferit, Paulum hoc loco id agere ut repetat & confirmet quæ dixerat 1. *Thess. IV: 13. Ego nolo vos ignorare fratres, de iis; qui obdormiverunt, quod non debeatis esse solliciti eorum causa, nec propter reliquos, qui spem habebant, hinc eo abit Vir doctiss. ut putet illud τὸ ποιήσασθαι denotare, & quodnam solatium habebunt, βαπτίζεσθαι autem significare dolere. Fateor, quod explicatio hæc nobis videatur obscurior, sensus autem huc redit; Quamnam consolationem habebunt, qui se affligunt propter defunctos, si mortui non resurgunt, & quare se affligunt propter mortuos, cum omnino non sit resurrectio. Hanc explicationem longepimis petitam, suo loco relinquimus.*

XVII. Post plurimas jam veterum & posterioris ætatis Theologorum sententias suam subjungit
Henr.

Henr. Mullerus loco jam supra citato, mens ejus sequentibus exhibetur: Illi pro mortuis baptizantur, qui baptismo suo defendunt mortuos in fide beatæ resurrectionis, cujus baptismus sigillum est; Nervus ideo argumentationis Paulinæ hic erit. Si non creditis, eos, qui in Christo obdormiverunt, resuscitatum iri ad vitam, cur defenditis eos baptismo vestro, dum eum in finem baptizamini, ut promissio vitæ ab ipsis fide apprehensa, etiam vobis per fidem applicetur: Huic interpretationi id maxime obesse videtur, quod Paulus non loquatur de Baptismo in genere, sed de eo, quo quidam tantum in Ecclesia Corinthiaca mortuorum causa se baptizari voluerint, ut id optime notavit *Jos. Scaliger* in Not. Novi Testamenti ad hunc locum.

XVIII. In numerum eorum, qui hunc locum exponere tentarunt, etiam ponendus *Joannes Harduinus*, in suo Comment. in N. T. p. 523. is more solito nodum in scirpo invenit, & pro ingenio suo solvere statuit. Per Baptismum ille, ut quidam alii, ærumnas, tentationes, molestias aliasque adversitates, quibus homines sæpius premuntur, intelligit, per mortuos autem impios, veritatis luce destitutos & peccatis implicitos. Quomodo autem hæc cum sensu verborum Pauli quadrent, æquo lectori disquirendum relinquo, hinc plura de ea non addo, hæc dijudicavit *Deylingius* Observatt. Sacr. part. II. Observat. 44. p. m. 517.

XIX. Possent hoc loco etiam recenseri explicatio doctissimi *Elsneri*, nuper beata morte defuncti, quæ legi potest Observatt. Tom. II. p. 127.

&

& in mantissa ad finem, quam autem jam ab initio hujus Exercitationis examinavimus.

XX. Post magnum interpretum globum etiam in apicem vocandus est Vir eruditione & ingenio illustris *Joannes Lighthfootus*, qui *Hor. Hebr.* ad h. l. *Oper. Tom. II. p. 922.* ita discribit: *Hoc sensu hæc verba optime intelligas, ut sensus sit; Alioquin quid facient illi, qui subeunt martyrium, & baptizantur eo sensu, quo baptismus mortem denotat per martyrium, si omnino mortui non resuscitantur? Nam Baptismum pro martyrio sumi, patet satis ex Matth. XX: 22. Vide quam optime huic sensui conveniat connexio commatis sequentis, quid facient illi, qui martyrium subierunt, subeuntque, si non sit resurrectio, eo quare nos etiam in dies atque omni momento periclitamur ad martyrium.* Plurima sunt, quæ ad hæc doctissimi Viri verba notari possent, quæ autem heic locum invenire non possunt, cum scopus noster non sit vel data opera examinare, vel prolixius confutare aliorum sententias, sed eas lectori brevissimis verbis describere, ut collato inter se diversarum interpretationum agmine ipse judicet, quænam & analogiæ fidei & scopo Apostoli Pauli loquentis optime conveniat, nobis ergo sufficit dixisse, quod Celeberrimus Lighthfootus non videatur rem acu tetigisse, quia relicta significatione naturali & simplici, a qua absque necessitate recedendum non est, ad allegoricam confugit.

XXI. Hoc loco etiam citandus Vir insignis *Fridericus Spanhemius*, cujus mentem jam supra exposuimus, convenit is, ὅτις vertendum esse propter, baptizatos autem propter mortuos illos intelligit.

ligit, qui constantia martyrum moti, se ad Ecclesiam profitebantur, & ideo baptizati fuerunt, cum autem, quæ in hac asserione nobis dubia & incerta videbantur, jam fuerint exposita, illam heic citasse sufficiet.

XXII. Erudita etiam Dissertatione pro mente sua hunc locum exornavit Vir Clariss. atque Nobiliss. *Richardus Ellys*, Anglus in Fortuitis Sacris p. 137. &c. In eandem sententiam jam abierat *Jo. Clericus* in additam. ad *Hammondi* notas in N. T. 1. Cor. XV: 29. quam autem Vir modo laudatus latius, & magno eruditionis apparatu exposuit. Sententiam suam pag. 152. ita declarat: *Baptizari ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, nihil aliud est, quam baptizari in locum defunctorum. Notanda est hic vis & usus articuli, cujus adjectio est ἐμφατικὴ. Quinam ergo isti mortui, in quorum locum alii baptizati dicuntur? Non omnes intelligit mortuos, sed eos tantum, qui ex hoc, Corinthi sociato fidelium cœtu, jam fato functi discesserant, quos *μακαρισ* vulgo vocamus, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, nostrorum loco, pro ut eorum aliquis moritur. Quorsum inquit, propagatur inter nos baptismi ritus? Si mortui non resurgunt, quid prodest perpetua illa baptizatorum, quam sedulo curamus, successio? Quorsum demum qui cottidie moriuntur, eorum in locum, ne genus interire patimur, suffecti deinde alii? Ad quandam militiæ disciplinam mihi respicere videtur *Apostolus*, ubi defunctorum in locum identidem alii substituuntur, ne totum tandem jaceat sensim mutilatum corpus, ita militanti Ecclesiæ hoc optime convenit, ut in numerum defunctorum militum alii succedant. Fateor equidem, quod hæc explicatio sive illa sit Clerici, ut eam sibi etiam vindicat, sive Nobilissimi *Ellysi*,

Ellyfiii, sit simplex, & ab omnibus argutiis, quibus maxima pars earum, quas citavimus, gravatur, remota, duo vero sunt, quæ eam si non penitus evertunt, nihilominus tamen valde incertam & ambiguam reddunt, & primo quidem, si hæc assertio subsistere debet, asserendum est, Paulum hoc loco non de quibusdam tantum, sed de omnibus Christianis ad Ecclesiam Corinthiacam collectis loqui, quod certe probari nunquam potest, ut id potissima pars interpretum ad h. l. candide fatetur. Secundo concipi non potest, quando de Christianis per Baptismum in sinum Ecclesiæ receptis dici possit, eos fuisse baptizatos in locum demortuorum, cum unusquisque pro se sigillum Baptismi acciperet, addendum & hoc, quod tum Ecclesia Corinthiaca in suis constituta fuerit natalibus, ubi numerus baptizatorum fere erat integer, atque ab initio prædicationis Evangelii paucissimi hæcenus vita fuerant perfuncti.

XXIII. Nunc paulatim ad finem procedit elenchus diversarum interpretationum in hunc locum vere πολλοῦ ἁγίου; ut autem omnes, saltem mihi cognitæ lectori exhibeam, addenda est ea, quam affert *Henr. Mullerus* Dissert. jam supra allegata, quæ hæc est, quod sit probabile, primos Christianos, viros pietate claros, in propriis ædibus defunctos terræ mandasse, secundum exempla Judæorum 1. Sam. XXV: 1. & Joabi 1. Reg. II: 34. vel etiam pro consuetudine Romanorum, quam affert ex verbis *Servii* ad Æn. Lib. V. *Qui ait, quod moris fuerit apud majores, ut qui mortuus esset, domum suam referretur, & in illa sepeliretur, ex hoc ritu ita argumentatur Vir doctus, quod*
Chri-

Christiani forsan super sepulchra privata in ædibus Catechumenos baptizaverunt. Quid de hac explicatione sentiendum sit, unusquisque, cui iudicium sanum est, per se facile videt. Incertum est, an hic ritus sepeliendi apud Corinthios obtinuerit, cum nulla sint veterum testimonia, quibus hoc posset evinci; Exempla, quæ allegantur, sunt particularia, nec consuetudinem aliquam publice receptam confirmant. Et si ponamus, quod hoc factum esset apud Corinthios, tamen adhuc dubium maneret, an primi Christiani tempore Apostolico in ædibus privatis super sepulchra demortuorum baptizaverint.

XXIV. Agmen claudet Vir eruditione & ingenii acumine celeberrimus *Samuel Werenfelsius* Opuscul. Tom. I. pag. 293. edit. Lausan. cujus verba hæc sunt: *Animus non est, varias hujus loci obscurissimi explicationes ad examen revocare, sed potius doctis examinandam proponere unicam, quam me inter tot alias legisse non memini. Arbitror primo, verba ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, reddenda esse pro mortuis, in gratiam mortuorum, aut eo fine, ut prosit mortuis. Βαπτισόμενοι sunt illi, qui Baptismum recipiendo, se per hoc adstringunt ad professionem Christianæ Religionis, & disciplinæ Jesu Christi observationem; Hoc per se admodum difficile, quodque in primis illis temporibus plurima mala post se traherat, in gratiam mortuorum, seu, ut non nisi mortuis, vita & sensu destitutis prosit, facere, res erat oppido stulta & ridicula. Hoc tamen faciebant ex mente Apostoli, quotquot baptizabantur, si nulla esset resurrectio mortuorum, & non alia esset post hanc vitam vita speranda, baptizati fuissent, ad Christianismum se obligassent, severam illam Christi discipli-*

nam, omniaque pericula & mala subiissent, quæ præ-
 fessionem Christianæ religionis subsequuntur. Cui tan-
 dem bono? ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, in gratiam hominum
 mortuorum, id est, ut hoc ipsis non nisi mortuis pro-
 desset & in eo statu constitutis, in quo nihil amplius
 inde utilitatis capere poterunt. Mentem suam Vir
 Celeberrimus clarius adhuc in sequentibus expli-
 cat, cum ait: Ita plane mihi accipienda videntur ver-
 ba Apostoli; Si mortui omnino non resurgunt, quid igi-
 tur facient? id est perperam & stulte facient illi, quæ
 baptizantur, & per Baptismum se adstringunt ad seve-
 ram Christianorum disciplinam, omnibusque malis &
 periculis, quibus hi expositi sunt, se obiciunt; qui in-
 quam omne id faciunt, pro mortuis, in gratiam mortu-
 orum; intellige non mortuorum ex baptizatis diverso-
 rum, ut hoc primo intuitu videtur, sed ipsorum illo-
 rum baptizatorum, quando erunt mortui. Habet hæc
 sententia aliquid commune cum quibusdam jam
 supra notatis. Illam esse elegantem, & acuminè
 Werenselsiano dignam, lubens fateor, si autem
 omnia expendam, ea sensum mentis Apostolicæ
 non attingit, si enim hæc Pauli fuisset sententia,
 potius scribere debuisset ὑπὲρ τῶν ζωντῶν, & ita
 quantum videtur verba Pauli id exprimere potuis-
 sent, quod contendit Vir Cl. sed hoc loco etiam
 repetendum est, quod jam aliquoties dictum,
 mentem Apostoli non esse de Baptismo in genere
 loqui, sed tantum de consuetudine quorundam
 in Ecclesia Corinthiaca, ut id plena manu conce-
 dit tota fere cohors omnium interpretum, qui
 hunc locum illustrare tentarunt, sed secundum
 sententiam beati Viri erit dictum universale.

Habes jam, mi Lector! si non omnes, saltem potissimas in hunc locum classicum, quas detegere potui sententias, tuum jam est in tanto sententiarum divortio aliquam tuam facere, sequere ergo Ovidianum illud, &

Elige cui dicas, tu mihi sola places.

Illæ vero suo ordine, licet quædam magnam inter se habeant affinitatem, proponendæ videbantur, ne quis mihi objiceret, esse forsitan aliquam illustrationem nostra evidentiolem, nec indigne feram, si aliqua ex his magis nostra arrideat, aut alia, quæ a recensitis non multum differt, ut est *Battierii & Schelhornii* in *Bibl. Brem. Cl. IV. p. 100. & Cl. VII. p. 649. &c.*

§. VIII.

II. Ad alteram nunc *Exercitationis* nostræ partem devenimus, qua docendum erit, quomodo ex institutione doctrinæ Christianæ Baptismus sit tessera & sigillum futuræ resurrectionis, ut inde constet, quomodo Paulus provocaverit ad illorum Baptismum, qui fide fidelium defunctorum permoti se baptizari desiderarunt, ut ejusdem beneficii possent reddi participes.

Quale sit Sacramentum Baptisma, & qua ratione illud inde a tempore Christi ad hunc usque diem in Ecclesia fuerit habitum, res est omnibus ad prima elementa doctrinæ Evangelicæ progressis, notissima: cum ideo dicimus, Baptisma esse primum Sacramentum N. T. a Servatore nostro institutum, quo omnibus, qui membra Ecclesiæ recipiuntur ablutio a peccatis per Sanguinem & Spiri-

Spiritum Christi obsignatur, simul etiam significamus, quod baptizatus Christum pro Salvatore atque Domino suo agnoscat, in quem unice credat, cui obsequium præstet, ut ab eo justificetur, ut hoc modo in glorificationem Dei Triunus, in cuius nomen fuit baptizatus, usque ad mortem vivat, atque post mortem æterna salute & resurrectione justorum in magno illo die gaudeat, atque secundum hanc notionem Baptismi Sacramentum inde a tempore primo ejus institutionis ad nos usque in Ecclesia, quæ stricte doctrinam Christi & Apostolorum sequebatur, fuit habitum. Qui per Baptismum in Ecclesiam recipiebantur, se ad morum mutationem, seriam pœnitentiam atque vitam discipulo Jesu Christi dignam alligabant, noverant hoc quotquot per hoc Sacramentum Christo nomen dederunt, hinc baptisma Joannis, erat *Baptisma ad pœnitentiam*. Mandato acceperant Apostoli, ut abeuntes per universum orbem *baptizarent nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti atque docerent omnes gentes*. Matth. XXVIII: 19. Habebat ideo Baptismus usum testimonii divini & sigilli gratiæ inde a primo die institutionis usque ad finem mundi. Noverant hæc & exacte observabant primitivæ Ecclesiæ doctores, hinc nomine *σημακρυιδος*, *signaculi*, sæpe venit in Scriptis patrum, sic *Hermas Pastor*. Lib. III. Simil. 9. edit. Coteler. volum. I. pag. 117. & *Tertullianus* Apolog. c. 21. *signaculum* appellat, quo profitemur, nos Christi servos esse, nosque hoc signo a Gentilibus distingui, ut hæc latius exponit *Thomas Gatakerus* de vi & efficacia Baptismi infantilis in *Disfert. peculiari ad calcem operum annexa*, p. 92. &c. Secundum hanc doctrinam in primitiva Ecclesia baptizandi

non aspergebantur, sed toti aquæ immergebantur, quod exemplo Joannis Baptistæ factum, & hinc omnes illæ allusiones, cum per immersionem sepulturam, per subsequentem emersionem ex aqua resurrectionem non obscure significabant, atque ex his explicanda loca, quæ ad hunc ritum respiciunt, inde Paulus ad Romanos scribens ait, Cap. VI: 3. *An ignoratis, nos quotquot baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos, conssepulti sumus ei per Baptismum in mortem, ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos nova vita ambulemus, nam si cum eo plantati coaluimus assimilatione mortis ejus, etiam resurrectionis similitudine cum eo coalescemus.* Et consimiliter ad Coloss. II: 12. *Conssepulti sumus cum Christo per Baptismum, per quem etiam cum eo suscitati estis per fidem efficacis illius virtutis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis.* Et iterum Gal. III: 27. *Quicumque in Christum baptizati fuistis, Christo fuistis induti,* allusione facta, ut plurimi existimant, ad illa vestimenta alba, quibus illi induebantur, qui novissime erant hoc Sacramento ad gregem Christi recepti, an autem hic ritus jam tempore Apostolico fuerit in usu, mihi incertum est, hoc vero contendit, & hunc locum ex hoc ritu explicandum putavit doctiss. *Gulielm. Cave* de Christianismo primi temporis Cap. X. p. m. 339. His jam præmissis quilibet per se facile colligere potest, quomodo omnes illi, qui fuerunt baptizati, fidem & spem futuræ resurrectionis habuerint, dum enim in Baptismo aquæ immergebantur, illis significabatur, eos esse impuros, eorumque sordes & peccata per sanguinem Christi, qui per illam aquam significabatur, esse sublata; per emersionem

nem vero notabatur, ut resurrectio Christi capitis, ita etiam resurrectio fidelium, qui a Servatore redempti a potestate peccati & diaboli liberati, certam spem haberent, quod eadem illa virtute Redemptoris revocandi essent e sepulchro, & in gloriam illam æternam, quam Christus acquisivit, & in qua Ecclesiam suam regit, aliquando cum corpore & anima transponendi. Hoc sensu Patres denotabant analogiam inter Baptismum & resurrectionem carnis, ita enim *Theodoretus* Epitom. de divinis decretis cap. XVIII. pag. 292. Βάπτισμά ἐστι Ἀρράβων τῶν μελλόντων, καὶ τῆς ἐσομένης ἀναστάσεως τύπος. *Baptisma est arrhabo futurorum bonorum, & futuræ resurrectionis typus*, atque ex his jam manifestum est & perspicuum, quod omnes illi, qui exemplis sanctorum placida, læta & beata morte defungentium fuere impulsii & suscitati, ut baptizari desiderarent, professi sint, se Baptismum agnoscere non tantum pro signaculo Ecclesiæ Christianæ, sed etiam pro certissima tesera futuræ & gloriosæ resurrectionis carnis.

§. IX.

Examinauimus jam, quisnam sensus Apostoli in verbis, quæ ad disquisitionem proposuimus, esse possit, si jam ea velimus ad praxin vocare, & in illis ea attendamus, quæ ad vitam nostram instituendam, moresque formandos se nobis offerunt, plurima habebimus. Primo quidem ex his docemur, quantum momentum ad doctrinam Christianam propagandam & confirmandam afferat exemplum piorum hominum, qui secundum normam præceptorum Christi, in pietate, in fide, in certa fiducia promissionum diuinarum, in

gaudio spirituali ad mortem usque perseverant. Præcepta Evangelica mentem illustrant, voluntatem flectunt, sed exempla virtutis & pietatis tantopere firmant & roborant, ut exinde non modicum pondus ad gloriam & propagationem cœtus Christiani subcreseat, hinc monet ipse doctor optimus discipulos suos, Matth. V: 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis.* Eadem repetit Petrus I. Epist. II: 12. *Dilecti! precor vos, ut abstineatis a carnis cupiditatibus, quæ militant adversus animam, conversationem vestram habentes honestam, inter gentes, ut pro eo quod obloquuntur vobis ut facinorosis, ex bonis operibus, quæ spectant, glorificent Deum.* Plurima occurrunt testimonia in scriptis Apostolicis, quibus doctrinæ Christianæ confessores ad vitam sanctam suscitantur, ut hoc modo gentiles per constantiam, fidem & reliqua bona opera Christianorum convincerentur & ad Ecclesiam adducerentur. Plurima habemus etiam exempla apud Scriptores Ecclesiasticos, quæ nos docent, quantum sancta primorum Ecclesiæ Christi discipulorum exempla contulerint ad convictionem gentilium & ad propagationem civitatis Christianæ; Labet unicum testimonium ex multis afferre, quod occurrit apud *Lactantium de Justitia Lib. V. cap. 13. p. m. 215.* *Cum autem noster numerus semper de Decorum cultoribus augeatur, nunquam vero, ne ipsa quidem persecutione minuat, quoniam peccare homines & inquinari sacrificio possunt, averti autem a Deo non possunt, valet enim vi sua veritas; Quis est tam excors, tamque cæcus, qui non videat, quæ in utraque parte sit sapientia? & paullo post cap. eodem. Cum jam ab ortu solis, usque ad occa-*

occafum Lex divina fufcepta fit, & omnis fexus, & omnis ætas & gens & regio unis ac paribus animis Deo ferviant, eadem fit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere potuerant, aliquid in ea re efle rationis, quod non fine cauffa ufque ad mortem defendatur, aliquid fundamenti, ac foliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis ac vexatione non folvat, fed augeat femper & faciat firmiorem. Doctrina Chrifti & Apoftolorum omnia indicia & testimonia divinae veritatis fecum ferebat, quam autem homines carnales, & de rebus cœleftibus parum occupati fœpius obiter tantum audiebant, cum autem cotidianis fanctorum exemplis, fecundum hanc doctrinam viventium, maximopere tangerentur, movebantur tandem plurimi, ut ferio ad hæc attenderent, atque tandem ad eam hominum clafsem transirent, apud quos non tantum ingentis virtutis & constantia, a Philofophis fuis tantopere jactata, fed & fpei futuræ vitæ, refurrectionis carnis & æternæ gloriæ in cœlo perfuafionem certam & evictam haberent.

Fluit jam ex hac meditatione duplex officium, in unum quemque Ecclefia Chriftianæ per Sacramentum Baptifmi adfcriptum, & primum quidem hoc eft, ut imitemur vita fancta & inculpata primos illos Servatoris noftri confeffores & teftes, ut non folum externa oris profefione & aliquo cultu externo aliis fimus exemplo, fed præfertim vita, quæ fanctos decet, aliis in omnibus tanquam lucerna quædam in via conftituta præluceamus, fit hoc mundi abdicatione & voluptatum vitiofarum, manfuetudine, humilitate, beneficentia, mifericordia in egentes, converfatione de

Deo & rebus ad salutem spectantibus, animo ad
 serviendum prompto & ad ignoscendum ubique
 parato, perpetua animi tranquillitate in adversis,
 patientia in morbis, & plena in sanguinem re-
 demtoris fiducia morte jam appropinquante. Al-
 terum hoc est, ut quoties primum hoc N. T. sa-
 cramentum mente recolimus, nobis gratulemur,
 per illud obsignationem gratiosam nobis factam
 esse, remissionis omnium peccatorum & crimi-
 num nostrorum, ut & gloriosæ resurrectionis.
 Ita certe primæ Ecclesiæ discipuli Baptismum re-
 spiciebant, meditantes, quanta bona & benefi-
 cia Christus nobis externa hac corporis ablutione
 significaverit. Nec certe aut major aut generosior
 excogitari potest promissio quam hæc, quæ fide-
 les in omni afflictionum & miseriarum statu magis
 erigere & ad perseverantiam in certamine fidei ad
 ultimum usque vitæ momentum roborare possit.

Quam diversa vero sunt ea, quæ vivimus tem-
 pora ab illis nascentis Ecclesiæ sanctissimæ mori-
 bus! in quibus amor in Christum erat purus &
 fervidus, fides immota, fiducia certa, mores ad
 simplicitatem compositi, & cum perpetua futuræ
 gloriosæ resurrectionis certitudine conjuncti. Vita
 hominum, qui hac ætate Christiani audiunt, haud
 dubie talis est, ut hæc reprehensio merito locum
 invenire possit, si enim totum Cœtum Christia-
 num inspiciamus, rara admodum habebimus
 exempla talium hominum, quorum pietatis exem-
 plo alii extra Ecclesiam converti aut etiam illi,
 qui in ipsa Ecclesia vivunt emendari & ad vitam
 vocatione nostra dignam instituendam adduci pos-
 sint.

Poffet

Posset hoc loco, si cui luberet, examen insti-
 tui, quare nostro ævo desint illa sanctitatis, pro-
 bitatis, pietatis & fidei haud fucatae exempla,
 quæ tempore Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ
 erant communissima. Objiciunt homines, se
 abduci obviis in singulas horas malorum exem-
 plis: Sed his respondetur, quod eadem olim fue-
 rit apud multos, quæ hodiernum est corruptio,
 sed illi memores vocationis suæ, memores Sacra-
 menti in Baptismo præstiti & accepti, memores
 tandem magnitudinis & excellentiæ vitæ futuræ,
 maluerunt se abdicare mundo, Satanæ & cupidita-
 tibus, quam autem tantam negligere salutem.
 Objiciunt naturæ inertiam: Sed eadem olim erat,
 quæ jam est mortalium corruptio, eadem doman-
 da & subigenda erat caro, cum autem sibi vim
 inferrent, stimulos mundi frangerent, cœlestia
 præsentibus atque caducis præferrent, tandem ad
 illum perfectionis gradum devenerunt, ut men-
 tem & corpus ab omni macula servarent in diem
 adventus Domini Jesu Christi. Objiciunt porro
 communia hominum, qui Christiani vocantur,
 exempla, negotiorum ad vitam tolerandam spe-
 ctantium multitudinem, omne fere tempus spiri-
 tualibus dicandum absumentem, spem vitæ ali-
 quando emendandæ, & quæ sunt alia, quæ mun-
 dus cum carne corrupta suggerit, sed facile ad
 hæc omnia respondetur, cum vero sint omnia
 hæc prætextus frivoli & inanes, quibus homines
 sibi ipsi imponunt, & vitæ emendationem hoc
 modo ad ultimam horam usque protrahunt, &
 tandem sine spe & consolatione ad plures abeunt,
 ubi sera est & inanis vitæ corrigendæ fiducia.

Stimulet ergo atque moveat nos exemplum illorum sanctorum, qui vitæ integritate & sanctitate ita præluxerunt, ut alios ad justitiam & fidem adducere potuerint. Sunt jam illi beati cœlicolæ, quos agnus pascit, sunt illi in certo illo æternæ gloriæ habitaculo, requiescunt illi ab omni opere & angore, decertarunt illi bonum certamen fidei, & ideo habent impositam capitibus suis æternam & immarcessibilem gloriæ coronam, nec eos pœnitebit in æternum vitam suam secundum regulam Servatoris nostri per patientiam & fidem transegisse: Majorem hæc haberent vim & efficaciam, si eos audire possemus beato ore gloriam suam cœlestem describentes, certius hæc nos movere possent, si faciem eorum æterna lætitia perfusam intueri per breve spatium possemus, si concederetur coram audire jubila coram throno agni, & si licitum esset cœtum illum primogenitorum oculis nostris præsentem contemplari.

Moveat ergo nos ad eorum vestigia alacriter premenda, spes certæ & æternæ gloriæ, vitæ nostræ brevitatis & inconstantia, vocationis nostræ dignitas, sanctitatis & emendationis necessitas, mundi vanitas, peregrinationis nostræ in hoc tenebricoso terrarum specu mox ad beatum finem contendens angustia. Hæc si nobis assidue proponamus, hæc cottidie in mente nostra præsentia sistamus, accedet de die in diem in nobis major gratiæ & illuminationis progressus, usque dum Spiritu Sancto obsignati in diem redemptionis possimus beata morte abire in eum perfectissimæ glorificationis locum, ubi Deus est omnia in omnibus. Faxit id Deus per gratiam & Spiritum suum, cui sit laus & honos in secula.

T A N T U M.

SAMUE.

SAMUELIS BATTIERII
OBSERVATIONES

in varias EURIPIDIS Tragœdias.

Med. V. 11.

- - - Ἀνδάνασσα
Φυγῆ πολίων, ὧν ἀφίκετο χθόνα.

Canterus testatur, se versum posteriorem emendasse *Nov. Lect.* l. 11. c. 21. (*) Scholiastes: τὰ δὲ ἀνδάνασσα.) ὀρθὴ ἀντὶ δολικῆς, ἀντὶ τῆ ἀνδανέση. Quænam sit Canteri emendatio nescio: ego puto in φυγῆ latere mendum, & scribi debere:

Ψυχῆ πολίων. - - -

Ib. V. 21.

- - - ἀνακαλεῖ δὲ δεξιᾶς,
Πίσιν μεγ. - - -

Jo. Clericus *Biblioth. Choisie* T. XI. p. 281. legere vellet: - - - δεξιᾶς Πίσιν μ. - - - prædicat dextræ porreclæ Fidem maximam. Ita ut sit δεξιᾶς cas. gign. & virg. sublata, sed nihil videtur mutandum.

V. 88.

Ἐι τὸς δὲ γ' εὐνῆς - - -

Jo.

(*) Canterus legendum putat vel φυλῆ vel ψυχῆ.

Jo. Clericus ib. p. 282. sic vertendum existimat:
*Quid si & nuptiarum causa hos non amat pater? quod
 non est repudiandum.*

V. 90.

Σύθ' ὡς μάλισα - - -

Melius scribitur : Σὺ δ' ὡς μ. - - -

V. 94.

- - - πρὶν καλασκῆσαι τινα.

Forte legendum : τινί • priusquam in aliquem impo-
 tum fecerit.

V. 105.

Ἴτε νῦν, χωρεῖθ' ὡς τάχος ἔισω.

Scribendum est :

Ἴτε νυν, χωρεῖθ' - - -

Ut νυν non sit adverbium vel ἐπίρρημα, sed σύν-
 δεσμος παραπληρωματικός, quæ vocula ἐγκλινέται,
 & idem valet quod δὴ, de qua particula vide
 Varinum.

V. 106.

Δῆλον δ' ἐξ ἀρχῆς ἐξαιρόμενον.

Canterus monet, legendum videri αἰρόμενον. Sed
 causam non video, cur ἐξαιρόμενον mutetur, sic
 enim versus est anapaesticus ὑπερχαλάλητος εἰς συλ-
 λαβὴν, tres primi pedes erunt spondæi, quartus
 dactylus, & syllaba restans.

V.

V. 107.

- - - ὡς τάχ' ἀνάψει.

Scholias tes monet etiam pro ἀνάψει legi ἀνάξει, quasi ἄνω ἄξει, εἰς ὕψος ἀνάσειναι. ὃ ἐστὶν αὐξήσεσθαι τὸν θυμόν. Magis vero placet ἀνάψει.

V. 108.

- - - τί πότ' ἐργάσειαι
Μογαλόσπλαγχνος δυσκάλιπαυτος
Ψυχὴν, δηχθεῖσα κακοῖσιν.

Post ἐργάσειαι punctum interrogationis signum est ponendum, dein subintelligitur ἐστὶ, & sensus est: *Animus magnus malis vexatus, non facite placatur, & ad quietem se dat.*

V. 119.

Ὀλίγα & πολλὰ hic more Græcorum loco adverbiorum posita sunt, Ὀλίγα est idem hic quod *paucum*, vel *parum*, & πολλὰ *sæpe*, *multum*, secundum meam interpretationem etiam Scholias tes aliquid olfecit, quando post falsam explicationem aliam ita loquitur: Δύναται δὲ τὸ ὀλίγ' ἀρχόμενοι, ἀντὶ τῆς, ἐδ' ὅλως ἀρχόμενοι, ἀλλ' εἰς τὸ ἐναντίον, αὐτοῦ πολλῶ (πολλὰ scilicet) κρητέρες. πέφυκε δ' ἐξουσία ἐπαίρειν αἰετὶ τοῖς ἀνθρώποις τὸν λογισμόν.

V. 136.

Ἄουδὲ συνήδομαι γύναϊ
Ἄλγεσι δώματος.

Existimo

Existimo γύναι e versu esse ejiciendum, sine eo enim omnia plana sunt, & versus ex duobus dactylis constabit.

V. 138.

Ἐπεὶ μὴ φίλα κέραιαι.

Hoc κέραιαι mihi hic suspectum est, malim pro eo ponere: κέραιαι, quod est τέλεσθαι. Scholiast. Ἐπεὶ μοι φίλον.) τὸ οἶκημα φησὶ τέλεσθαι ἐμοὶ φίλον οἶον ὑπάρχει. Quamvis lectionem, ut mihi videtur, falsam secutus fuerit Scholiastes, tamen exin conjici posse puto, κέραιαι eum legisse.

V. 140.

Ὁ μὲν γὰρ ἔχει δ. - - -

Isud δ hic cum sit pronomen accentu debet notari, positum enim pro ἔτος δ' Ἰάσων. Hinc scribe: Ὁ μὲν γὰρ - - -

V. 141.

Ἡδ' ἐν θαλάμ. - - -

Scribe: Ἡ δ' - - hoc enim δ' est positum pro conjunctione δέ.

V. 148.

Ἄϊες ᾧ Ζεῦ, καὶ γᾶ, καὶ φῶς,
Ἰαχάν, οἶαν - - -

Ex Scholiaste melius sic scribitur:

Χορ.

Χορ. "Αἰες. Μῆδ. ὦ Ζεῦ, καὶ γὰ, καὶ Φῶς.
 Χορ. Ἰαχάν, ὅϊαν - - -

Ut *ἄϊες* ἰαχάν sibi sint invicem jungenda, & reliqua intus a Medea proferantur, & V. 168. & 169.

Κλύεθ' οἶα λέγει καὶπιβοᾷται
 Θέμιν εὐκλ.

Bene nutrici Medeæ tributa jungi, quamvis quidam, ut Schol. monet, Θέμιν εὐκλ. - - - tribuant etiam Medeæ, & subintelligi velint ὄμνυμι.

V. 210.

Λιγυρὰ δ' ἄχεα μογερὰ βοᾷ.

Λιγυρὰ potest intelligi positum pro λιγυρῶς, ut etiam interpretatur Schol. Μογερὰ vero melius ad ἄχεα spectat quam ad Medeam, sic enim versus habebit duos primos pedes proceleusmaticos, & tertium anapaestum; alias si sequaris Scholiastæ interpretationem, metrum non facile rite dispones, Schol. sic: Λιγυρὰ δ' ἄχεα.) ἀντὶ τῆς λιγυρῶς καὶ ὀξέως τὰ ἄχεα φησὶν ἢ μογερὰ Μήδεια βοᾷ.

V. 216.

Δί' ἄλα νύχιον
 Ἐφ' ἀλμυρὰν πόντιον
 Κληίδ' ἀπέραντον.

Scholias: Ἐπὶ τὴν ἀλμυρὰν τῆς πόντιον κληίδα λέγει δὲ τὸ φενόν, ὅθεν καὶ κλειδα τὸ φενόν ἐκεῖνο ὠνόμασεν· παρὰ τὸ ὡς περ κλειδα εἶναι τῆς προκειμένης πόντιον· ἀπὸ γὰρ τῆς φενῆς, ἐπὶ τὸν πόντιον ἐξίσταται.

ἄσι. Νύχιον δὲ λέγει τὸν Θεὸν, ὡς ἐξῆς ἐπάγει
 ὡσε καὶ ἄνω διὰ τῆς Θέμιδος τὸν Δία ἐπικαλεῖσθαι
 ἢ Θέμις δὲ αὐτὴν φησὶ διὰ νυκτὸς πεφευγέναι. Quid
 νύχιον hic esse possit non satis assequi ex Scholiaste
 possum, ego putarim esse corruptum, & omnino
 ponere malim pro eo νήχιον, late fluens, ut sit:

Δι' ἄλλα νήχιον.

V. 233.

Ἐν ᾧ γὰρ ἦν &c.

Hunc versum Canterus dicit se emendasse N. L. I.
 IV. c. XI. (*) mihi videtur sic scribi debere:

Ἐν ᾧ γὰρ ἦν μοι πάντα γινώσκων κακόν.

In quo enim erat mihi omnem (virum) cognoscere
 & deprehendere malum, i. e. quod omnis vir ma-
 lus sit.

V. 1246.

- - - μήδ' ἀναμνηθῆς τέκνων,
 ὦ φίλιαθ', ὡς ἔτικτες. - - -

Melius videtur habere, si scribatur: "Οὐς ἔτικτες"
 Articuli genus respicit ita τὸ σημαίνόμενον, ut sa-
 pius fit, etiam apud Homerum Odysf. Λ. v. 90.

Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίε Τειρεσίαιο,
 Χρύσειον σιῆπτερον ἔχων. - - -

ΙΠΠΟΛ.

(*) Canterus c. I, legit: Γινώσκω καλῶς.

ΙΠΠΟΛ. ΣΤΕΦΑΝ. v. 324.

Ὅου δῆθ' ἐκῆσά γ' ἐν δὲ σοὶ λελείψομαι.

Scaliger & Duportus probant scripTIONem εἰδὲ σῆ
λελ. potius punctum post τὸ ἐκῆσά γ' tollatur,
& omnia poterunt recte habere:

Ὅου δῆθ' ἐκῆσά γ' ἐν δὲ σοὶ λ. - - -

Non sane lubens in te deficiam. Et τὸ δὲ non erit
adversativum, sed idem quod δῆ· vel & scribi po-
terit:

- - - ἐκῆσά γ' ἐν γε σοὶ λ. - - -

V. 350.

- - - ἐρᾶς, ὦ τέκνον, ἀνθρώπων τίνος;

Scribo:

- - - ἐρᾶς; ὦ τέκνον, ἀνθρώπων τίνος;

Amas? o filia, quemnam hominum?

V. 441.

Ὅουκ ἀρά γ' εἰ δέῃ - - -

Scribo:

Ὅουκ ἀρα γε τῷ δέῃ - - -

Non sane isto opus est iis, qui amant suos vicinos.
Sic Homer. Odyss. A. v. 215.

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέ φησι τῷ ἔμμεναι. - - -

ΑΛΚ. v. 18.

Tom. VI.



Θανείν

Θανείν πρὸ κείνης, μηκέτ' εἰσορᾶν Φάος.

Scribendum vel μηδέ τ' vel μηδ' ἔτ', & insuper notandum εἰσορᾶν Φάος pro vivere eleganter positum, ita infra in Alcest. v. 691.

Χαίρεις ὄρῶν Φῶς; παλέρα δ' εἰ χαίρειν δοκεῖς;

Ita Lucian. Dial. Μενίππ. καὶ Χείρων. εἶχ' ἠδὺ ἦν ζῶντα ὄρᾶν τὸ Φῶς; Eurip. Alcest. v. 83.

Ζῶσ' ἔτι Φῶς λεύσσει - - -

Ibid. v. 140. βλέπειν positum pro eodem, ib. v. 667.

- - - αὐγὰς εἰσορῶ. - - -

V. 151.

Τί χρὴ γενέσθαι τὴν ὑπερβεβλημένην
Γυναικα;

Scribe: τήνδ' ὑπερβ. ne tamen conjunxeris istud τήνδ' cum ὑπερβεβλημένην. sensus est: *Quid oportet fieri illam, quæ istam superare volet mulierem? quid fieri oportet illam, quæ volet hanc superare?*

V. 276.

Ἄλλ' ἀναλόλμα.

Videtur rectius scribi:

Ἄλλ', ἄνα, τόλμα.

Sed, o regina, animum recipe.

V. 810.

Ἦ Οὐκ ἐν. ὀφείεις γὰρ ἕνεκ' εὖ πάχει νεκρῶ.

Nec metrum constat, nec sensus recte habet: scribo itaque:

Ἦ Οὐκ ἐν. ὀφείεις γ' ἕνεκ' εἰ πάχει νεκρῶ.

Nequaquam (nim. dominus tuus nimis est hospitalis & comis) *siquidem patitur* Ἦ *luget saltem ob externum nec domesticum mortuum.*

ΙΚΕΤΙΑ. v. 734.

Ἦ Ζεῦ, τί δῆτα τὰς ταλαιπώρας βροτῶς
Φρονεῖν λέγῃσι; &c.

Canterus recte monet, scribi debere: ἂν σὺ τυγχάνης θέλων. Versus hi proferuntur apud Laërtium l. 9. Vit. Pyrrhōn. S. 71. & quidem Edit. Amstelod. sic:

Τί δῆτα τέτῃς τὰς ταλαιπώρας Φρονεῖν
βροτῶς λέγῃσι; σὲ γὰρ ἐξηρήμεθα,
Δρῶμεν τε τοιαῦτ' ἂν σὺ γε τυγχάνεις θέλων.

Sed omnino scribendum apud Laërtium:

Ἦ Ζεῦ τί δῆτα &c.

V. 1189.

- - - ἔτος κύριος, τύραννος ὢν,
Πάσης ὑπὲρ γῆς Δαναϊδῶν ὀρκωμόλει.

Grotius de Jure Belli & Pacis l. II. c. XV. p. m. 263. legendum esse scribit: ὀρκωμόλειν, & jungit

cum κύριος, ὀρκωμόειν, & vertit: - - - namque
is jus habet, ut civitatem fœdere obstringat suo. Ecce
recte.

ΙΦΙΓΕΝ. ΕΝ ΑΥΛ. v. 546.

Γαλανεία χρησάμενοι
 Μαινόμεν' οἰσρων, ὄθι δῆ
 Δίδυμ' ἔρωσ χρυσοκόμας
 Τόξ' ἐνλείνεται χαρίτων
 Τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωσι πόντῳ

Post χρησάμενοι pone virgulam, & post οἰσρων
 punctum, pro μαινόμεν' legendum, κενὸν μὲν, ἰα-
 pe enim pro se invicem ponuntur diphthongus, αι
 & vocalis ε (*) Origen. contra Cels. (vel in πρὸς
 τὸν ἐπιγεγραμμένον Κέλσῳ ἀληθῆ λόγον, ut Cod.
 Msc. Biblioth. Acad. Basil. & alii legunt melius)
 l. 2. p. Edit. Cantabrig. 69. Πλὴν καὶ κενὸς καὶ δια-
 τῶν κατὰ τὴν πρόγνωσιν ἀκῶν ὡσπερὶ εἰ κενὸν θεο-
 τέρας δυνάμεως ἀπεφῆναί το εἶναι τὸν ἐν τοῖς πάτραι-
 σιν τῶν δογμάτων λόγον, pro quo κενὸν Msc. Basil.
 Orig. cit. legit καινόν, scribe hic quoque pro ἀπε-
 φῆναί το, ἀπεφῆναί το, sine jota subscripto. Orig.
 l. 7. contra Cellum p. Ed. Cantabr. 340. Πρὸς
 ἐν κενὸς ψόφῳ ὀνομάτων εἰς λόγος αἰρεῖ ἀπολο-
 γήσασθαι. Msc. Basil. cit. scribit pro κενὸς, και-
 νός, pro αἰρεῖ autem idem recte scribit αἰρεῖ. Sic
 apud Plutarchum Συμπος. VIII. cap. IX. p. 893.
 Ed.

(*) Exemplum hujus vide & in Auctoris Not. ad Eu-
 rip. Phœn. v. 18. ubi pro Σπᾶρε Origen. Msc. Bas. cit.
 Σπᾶραις habere testatur.

Ed. Ald. Πόθεν γε δὴ σώματι νόσημα κενόν, ἢ πάθος ὀξύγονον, pro καινόν positum est κενόν. Plato in Philebo p. 76. Edit. Lugd. Κενόν γε ὄντα πάσης φρονήσεως sic apud eundem in Τιμαιο Ed. Basil. p. 482. καινήν scribitur pro κενήν· σφίγγει πάντα, καὶ καινήν χώραν ἐδεμίαν εἰς λείπεσθαι. Porro scribe: - - - ὅτι δὴ - - - hinc v. 549. scribe:

Τόξ ἐνλείνεται, χαρίτων
Τὸ μὲν - - -

Admodum vero suspicor illud χαρίτων non esse in suo loco genuino, sed scribi debere: Κενοὶ μὲν οἴσρων, ἔμλεοι δὲ χαρίτων, vel quid simile, nihil tamen statuo, conjectura tantum est; tandem locum sic scribo:

Γαλανεῖα χρησάμενοι,
Κενοὶ μὲν οἴσρων· ὅτι δὴ
Δίδυμ' ἔρωσ χρυσοκόμας
Τόξ ἐνλείνεται, τὸ μὲν
Χαρίτων ἐπ' εὐαίωνι πόντῳ.

V. 615.

Ἵμεῖς δὲ νεανίδασι νιν ἀγκάλαις ἐπι,
Δέξασθε, - - -

Varii varie scripserunt, sed nemo recte, scribe omnino:

Ἵμεῖς δὲ νεάνιδες νιν ἀγκάλαις ἐπι
Δέξασθε. - - alloquitur enim chorum.

V. 659.

Ἄλλως ὀλεῖ πρόθεν, ἃ με διολίσσαντ' ἔχει.

Distingue sic:

Ἄλλως ὀλεῖ, πρόθεν ἃ με - - -

V. 791.

Τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμους κόμας,
Ἐρυμα δακρυόεν τ' ἀκέσας
Παίριδος ἐλομένας, ἀπολωλιῖ;

Sic conijicio locum hunc scribendum esse:

Τίς ἄρα μ' (pro μὲ) εὐπλοκάμους κόμας,
Ἐρυμα δακρυόεν ἀπέρας.
Παίριδος ὀλωμένης, ἀπολωλιῖ;

Verbum ἀπολωλιζω potest duplicem accusativum regere: Τίς μὲ ἀπολωλιῖ εὐπλοκάμους κόμας; quis mihi capillos evellet, extrahet? dein pro ἀκέσας videtur rectius scribi ἀπέρας, spolians, privans. Denique ὀλωμένης pro ἐλομένας, etenim ἐλόμενος est exitiosus, ut Hom. Iliad. A. v. 2.

V. 875.

Φασγάνω λευκὴν φονεύων τὴν ταλαιπώρη δέσσην.

Scribe: - - - τῆ ταλαιπώρη - - - ut articulus sit in casu genitivi.

V. 884.

- - - πρόφασιν, ἢ μ' ἐκόμισ'

Malim

Malim scribere: - - - ἢ μ' ἐκόμισ' - - - quo me,
pater vid., eduxit, adduxit?

V. 900.

Ὅκ ἐπαιδεθήσομαι - - -

Scribendum puto:

Ὅκ ἔτ' αἰδεθήσομαι - - - non amplius verebor.

V. 1011.

Πειθόμεθ' αὐτίς πάλερα. - - -

Scribendum puto potius: Πείθωμεν αὐτίς - - -

V. 1036.

Τίς ἄρ' ὑμέναιος - - -

Scribo: Τίν' ἄρ' ὑμέναιον - - - & ad sequens ἔτασαν
refertur.

V. 1038.

Συρίγγων θ' ὑπὸ καλαμόεσσαν.

Per ἀνατροφήν scribe:

Συρίγγων θ' ὑπο - - -

V. 1291.

Μή ποί' ὤφειλε τὸν ἀμφί
Βασί βεκόλον τραφένι
Ἀλέξανδρον οἰκίσαι

Videtur scribendum esse *ὀκλίσαι*, *utinam bubulcus Alexandrum non fuisset misericordia complexus, utinam non fuisset Alexandri misertus.* Nisi enim bubulcus ille Paridem expositum misericordia motus fuisset, nunquam Helenam rapuisset. Nota quoque, quod τὸ τραφέντ ad antecedens βεκόλον fit sumendum.

V. 1330.

᾿Η πολύμοχθον ἄρ' ἦν γένος,
᾿Η πολύμοχθον ἀμερίων;

Malim hæc scribere sine interrogatione sic:

᾿Η πολύμοχθον ἄρ' ἦν γένος,
᾿Η πολύμοχθον ἀμερίων.

Sane calamitosum est genus, sane calamitosum est, mortalium.

V. 1436.

Παῦσαί με, μὴ κἀκίξε. - - -

Potius scribendum videtur:

Παῦσαι, μὲ μὴ κἀκίξε. - - -

V. 1449.

Μήδ' ἀμφὶ κείναις μέλαινας ἐξάψη πέπλος.

Malim scribere: ἐξάψης πέπλος.

V. 1465.

ὦ τέκνον, οἴχη
 Λιπέσσα μητέρα. - - -

Malim cum interrogatione hæc exprimere:

ὦ τέκνον, οἴχη; - - -
 Λιπέσσα μητέρα; - - -

V. 1615.

ὦ παῖ, Θεῶν τῶ κλέμμα γεγονός;

Forſan rectius: ὦ παῖ, Θεῶν του κλ. - - - ut fit encliticum.

ΙΦΙΓΕΝ. ΕΝ ΤΑΥΡ. v. 112.

- - - πάσας προσφέροντα μηχαναίς.

Scribo: προσφέροντε in numero duali, ut de Pylade & Oreste accipiatur.

V. 327.

Ὀυῖς τὸ νῦν ὑπέϊκον ἤρασσαν πέτροις.

Omnino audacter scribe:

Ὀυῖς τὸ νῦν - - -

Tunc rursus illi, qui tum cedebant, jactabant saxa. Sic enim alternis illi pastores in Pyladen & Oresten lapides incutiebant.

V. 329.

Ὀυδεὶς τὰ τῆς Θεῆ δύμαϊ εὐλύχει λαβών.

Omnino scribe βαλών. Nemo omnium illorum, qui quamplurimis lapidibus illos petebant, tam felix fuit, ut illos feriret.

V. 336.

Ἐυχῆ δὲ - - -

Opta. Sed videtur mihi potius ἔυχῆ esse in indicativo modo positum, non in imperativo, *optabas*, nisi forte scribi debeat ἤυχῆ. ἔυχῆ tamen magis placet, cum paulo ante v. 329. εὐλύχῃ eodem modo ponatur.

V. 494.

Ὅδ' ἔσι δὴ - - -

Scribe omnino: Ὅδ' ἐς τί δὴ - - - *ad quid? cur?*

V. 789.

Κάλλιπα δ' ὀμόσασ' - - -

Scribo: - - - ὀμόσας - - - ut de Pylade intelligatur.

V. 976.

- - - λαβών.

Omnino scribendum λακών. nam hæc scriptio de Oraculis propria est.

V. 1186.

- - - εἰς τὸ τῆς Θεῆ γ' ἐξένευσας εἰκότως.

Aliter

Aliter quam vulgo fit videtur verti debere, viz. quod commode in simulachrum Deæ nutum & oculum converterit, ut exin posset ἄγος & piaculum hospitem deprehendere, hinc v. 1180. Thoas dicit:

Σοφὴν σ' ἔθρεψεν Ἑλλάς. - - -

Similis significatio extat quoque ibid. v. 1330.

- - - ἐξένευσ' ἀποσηῆναι - - -

Ita videtur in Evang. D. Joannis c. 5. v. 13. ἐξένευσεν ὄχλος ὄντος, explicari debere.

V. 1196.

Ὁυκᾶν πρὸς αὐτὸν ναὸν ἐκπίπτει κλύδων;

Hæc cum interrogatione nequaquam exprimi debent, sed sic scribenda:

Ὁυκᾶν πρὸς - - - κλύδων. Nequaquam &c.

V. 1231.

Τῶνδε, καὶ θύσωμεν - - -

Scribo per η, θήσωμεν, si posuerimus, etiam D. Paulus 1. Cor. c. 9. v. 18, ἵνα ἀδάπανον θήσω &c.

V. 1232.

- - - τὰλλα δ' εἰ λέγῃσ' ὅμως,

Τοῖς τὰ πλείον' εἰδόσι Θεοῖς, σοί τε σημαίνω Θεᾶ.

Scribe: Θεᾶ. Τίθ' ο Dea viz. Diana. Hinc & ante Θεᾶ virgula, debet poni.

V. 1353.

Πόνῳ δὲ δόντες τὴν ξένην καθίεσαν.

De Oreste & Pylade ista accipio, & quidem ut jam in navem ingressi denuo descenderint, ut quoque Iphigeniam cum simulacro acciperent, & navi imponerent, scribo itaque:

Πόνῳ δὲ δόντ' ἐς τὴν ξένην καθίεσαν.

Ut τὸ δόντ' sit pro δόντε in duali numero.

V. 1385.

Τὸ δ' ἐξ ἔρανθ' πέσημα - - -

* Ἄγαλμα, νηὸς ἐκ μέσης ἐφθέγγαλο - - -

Τὸ πέσημα, & τὸ ἄγαλμα in accusandi casu sumo, & ea de Oreste dicta sunt, ut ad superius ἔθηκε referantur, simul quoque scribendum τὸ τ' - - - tum reliqua de de Oreste accipienda puto, & scribo: - - - νηὸς δ' ἐκ μέσης - - -

V. 1408.

* Ἄλλοι δὲ πλεκίαις ἐξανήπιον ἀγκύρας.

Optimino scribe: πλεκίαις. Hesych. Πλεκίη, σερὰ, ἢ ἐξ ἰμάντων.

V. 1428.

* Ὡς ἐκ θαλάσσης, ἐκ τε γῆς - - -

Scribere malim:

* Ὡς ἐκ θαλάσσης τ', ἐκτε γῆς - - -

PHΣ.

PHΣ. v. 600.

Ὅς ἐς διοίσει νύκλα τὴν ἐς ἄυριον.

Scribe:

- - - νύκλα τήνδ' ἐς ἄυριον.

V. 632.

Χωρεῖ· καλόπιας σημανῶν ἤκει εραῖδ.

Rectius scribitur:

Χωρεῖ, καλόπιας σημανῶν ἤκειν εραῖδ.

Indicaturus exploratores exercitus venisse.

V. 789.

Κλύω - - - μυχθισμῶν νεκρῶν.

Malim scribere: - - - μυχθισμὸν νεκρῶν.

V. 817.

Ἦτοι μάραυγά γ', ἢ καρανισῆς μόρος.

Rectius scribitur: Ἦτοι μ. - - - circumflexo accentu in priore ἢ posito.

V. 881.

- - - λεωφόρος πρὸς ἐκτροπίας.

Cum ἐκτροπή sit id quod divertit, & videtur esse contrarium λεωφόρω, potest scribi:

- - - λεωφόρων πρὸς ἐκτροπίας.

V.

V. 928.

- - - τρέφειν δέ σ' ἐ βρολείαν ἐχάραον
 Στρυμῶν δίδωσιν. - - -

Omnino vocula præpositionis excidisse putanda est,
 scribo itaque:

- - - τρέφειν δέ σ' ἐ βρότειον ἐς ἐχάραον.

Soni ejusdem repetitio in τῷ ἐχάραον sine dubio
 causa fuit, quod exciderit, unde factum etiam,
 ut βρότειον in βρολείαν mutaretur.

V. 993.

- - - σείχωμεν ὀπλοῖς
 Κοσμησάμενοι. - - -

Armis ornati, scribe potius: Κοσμησόμενοι. - - -
armis nos instructuri.

ΤΡΩΑΔ. v. 100.

Ἄνα δυσδαίμων, πεδόθεν κεφαλήν
 Ἐπάειρε δέσσην.

Existimo τὸ ἄνα esse pro ἀνασσα, & τὸ κεφαλήν
 tanquam ex Schol. ortum ejici debere, cum se-
 quens δέσσην interpretaretur, nam per συνεκδοχὴν
 δέσσην idem valet hic quod κεφαλή.

V. 141.

Κραῖ ζυρηκεῖ πενθήρει
 Κραῖτ' ἐκπορθηθεῖς οἰκλήως.

Scribo!

Scribo: πενθήρη Κραῖτ' - - - ut τὸ πενθήρη cum
κραῖτ' jungatur.

V. 315.

Ἐπεὶ σὺ μάτερ, ἐπὶ δάκρυσι, καὶ
Γόοισι τὸν θανόντα
Παίερα. - - -

Non recte hæc sic exhibentur & scribuntur, τὸ
ἐπεὶ idem hic valet ac ἔτα & ἔπειτα, deinde, tum,
& post γόοισι pono distinctionem, & scribo:

- - - τὸν θανόντα ἃ
Παίερα &c.

V. 442.

- - - ὡς δὴ συνλέμῳ.

Scribe: - - - συνλέμῳ.

V. 477.

Ἄους Τρωῶς, ἔδ' Ἑλληνίς, ἔδ' Βάρβαρος
Γυνὴ τεκῆσα - - -

Considerari debet, num scribi possit sequenti modo:

Ἄους Τρωῶς ἔκ, ἔδ' Ἑλλην, ἔδ' Βάρβαρος
Γυνή - - -

Sæpe sane attice sic usurpat nomina, quæ masculina
alias sunt, pro suo fœminino, videtur enim negandi
particulam deesse.

V. 166.

Ὦν γ' ἔτε μέτρον, ἔτ' ἀριθμός ἐσί μοι
κακῶν· κακῶν γὰρ εἰς ἀμιλλαν ἔρχεται.

Post versum priorem distingui debet, dein scribe:

κακῶν κακὸν γὰρ εἰς ἀμιλλαν ἔρχεται.

Malorum malum enim ad certamen venit. i. e. Semper aliud ex alio malum prioribus malis succedit, & priora superare conatur.

V. 699.

Ἐξ ῥ - - -

Optime videtur legendum ἐκ σϛ. - - -

V. 986.

Ἀυλαῖς Ἀμύκλαις - - -

Puto Pronominis voculam hic excidisse, scribo itaque:

Ἀυλαῖς σ' Ἀμύκλαις - - -

V. 1246.

Χωρεῖτε, θάπει' ἀθλίῳ τύμβον νεκρῶ.

Dubito de hac lectione, forsā scribendum erit
σκάπει' fodite.

ΒΑΚΧ. v. 3.

Σεμέλη, λοχευθεῖσ' ἀτραπηφόρῳ πυρί.

Forsan

Forſan rectius ſcribitur λοχευθεῖς, ut intelligatur
de Διονύσῳ v. 2.

V. 5.

Πάρειμι Δίρκης νάματ' - - -

Adsum ad fontes Dircae, πάρειμι hic est, accedo, ve-
nio ad fontes Dircae, sic μέτειμι cum accus. casu
ibid. v. 345.

Τῆς σῆς ἀνοίας τόνδε τὸν διδάσκαλον
Δίκη μέτειμι. - - - *raenis persequar. ibid. v. 602.*

- - - ἔπεισι

Μέλαθρα - - -

V. 190.

- - - κάπιχειρήσω κακοῖς.

Scribe potius καλοῖς, bonis; & paulo supra ἠδέων
pro ἠδέων.

V. 191.

Ὅουκ᾽ ἐν ὄχοισιν εἰς ὄρος - - -

Cum interrogatione sunt ista scribenda, quærit
enim a Tirelia Cadmus, quid faciendum sit, an
vehiculo properandum sit? unde respondet Tiresias:
quod non apte Bacchus honorabitur, si vehiculo veniamus
ad illud sacrum.

V. 202.

- - - εἶδεις αὐτὰ καλαβάλλει λόγος.

Scribo αὐτὰς, viz. παραδοχάς.

V. 209.

- - - δι' ἀριθμῶν δ' ἔδεν ἀυξεῖσθαι θέλει.

Forfan scribi debet:

- - - δι' γὰρ ἐτῶν ἔδεν - - -

V. 242.

Ἐκεῖνος εἰνάει φησι Διόνυσον Θεόν.

Forfan:

- - - Διόνυσος Θεός.

V. 308.

βάλλοντα καὶ σείοντα - - -

Scribe omnino: Πάλλοντα - - - ib. v. 782. Πέλλας
δ' ὅσοι πάλλεσι. - - -

V. 343.

Ἦου μὴ προσοίσεις - - -

Scribo:

- - - προσοίσης - - -

V. 350.

- - - θυέλλαισι μέθες.

Scribe:

- - - θυέλλαισιν μέθες.

V. 388.

Ὁ δὲ τὰς ἡσυχίας
βίβλος, - - -

Scribe: - - τὰς ἡσυχίας B. - - -

V. 404.

Πάφον θ', ἀν - - -
καρπίζου ἀνομβροί.

Malim scribere ἀνομβρον, ut cum πάφον jungatur.

V. 473.

ἔχει δ' ὄνησιν τοῖσι θύεσιν τινά;

Scribe: - - - τινά;

V. 478.

- - - ἐκ ἐγὼ ἴτασσον τόδε.

Scribo: - - - ἐγὼ ἴτασσον τόδε.

V. 482.

Πᾶς ἀναχορεύει βαρβάρων τὰδ' ὄργια.

Forfan rectius scribitur: Πᾶσ' ἀν. - - . e. πᾶσα
χώρα βαρβάρων.

V. 491.

Ὡς θρασὺς ὁ Βάκχος, - - -

Qui Bachi sacra celebrat hic dicitur Βάκχος, ut Βάκχαι de foeminis dicitur.

V. 556.

Πόθι Νύσσης ἄρα - - -

Scribo: Νύσσης ἄρα - - - cum simplici σ.

V. 628.

Ἰέλαι ξίφος - - -

Scribe Ἰέλαι cum tenui.

V. 652.

Κλείειν κελεύω - - -

Hic versus non recte tribuitur Dionyso, sed adhuc Pentheo tribuendus, hinc qui sequitur versus omnino dictus a Dionyso ei debet tribui.

V. 857.

- - - γνώσειαι δὲ τὸν Διὸς
Διόνυσον, ὃς πέφυκεν ἐν τέλει Θεὸς - - -

Rectius erit, si scribatur:

- - - ὡς πέφυκεν ἐν τ. - - -

V. 922.

Ἐνσπονδος ἡμῖν • νῦν δ' ὄρας. - - -

Hæc tribuuntur adhuc Dionyso, sed potius a Pentheo dicta esse debent accipi.

Πένθ.

Πένθ. Ἐγσπονδος ἡμῖν. Διόν. Νῦν ὄρας. - - -

V. 962.

Τοὶ γάρ σ' ἀγῶνες ἀναμένουσιν, ἕς ἐχρῆν.

Rectius puto, si scribatur: - - - ἕς σε χρῆν.

ΚΥΚΛ. v. 197.

Ἔου δῆτ'. ἐπεὶτ' ἂν μεγάλα γ' ἢ τροία σένοι.

Scribo:

- - - ἐπεὶ γ' ἂν μεγάλα γ' ἢ τροία σένοι.

Non sane: (viz. fuga me subducam) siquidem magnam Troja potentiam haberet, valde adhuc potens Troja esset, nec esset deleta, si unum virum fugerem. E infra v. 219.

"Ηκιστ' ἐπεὶ γ' ἂν . . .

V. 220.

Πηδῶντες ἀπολέσαιτ' ἂν ὑπὸ τῶν σχημάτων.

Inferendam puto pronominis particulam:

- - - ἀπολέσαιτ' ἂν μ' ὑπὸ τ. σ.

V. 668.

- - - ἐκ ἄρ' ἐδεῖς ἠδίκει.

Pronomen hic sine dubio excidit, supplendum igitur sic:

- - - ἐκ ἄρ' ἐδεῖς σ' ἠδίκει.

ΕΛΕΝ. V. 300.

. . . τίν' ὑπολείπομαι τύχην;

Scribe:

. . . τίν' ὑπολ. τύχη;

TANTUM.



De

De CAULACAU Basilidianorum
DISSERTATIO CRITICA
JACOBI BRUCKERI

Acad. Berol. & Bononiens. Membri.

§. I.

INter veteris doctrinæ ænigmata, Gnosticorum somnia obscuritate tantum non omnium maxime laborare, nemo rerum in Ecclesia Christiana gestarum adeo ignarus atque rudis est, ut nesciat. Cum enim disciplinam a communi ingenii humani mensura longe abhorrentem, & vulgares scientiæ terminos excedentem affectarent Philosophi nugivenduli, cogitationibus abstrusis, notionibus fictis & nullibi nisi in emoto insanientis turbæ cerebro deprehendendis usi, ob antiquæ, quæ in Oriente & Ægypto ad ista usque tempora regnabat disciplinæ, quæ arcana atque ideo symbolica & allegorica fuit, imitationem, ænigmata magis, quam doctrinas struxerunt, rati, ut solet apud imperitum vulgus fieri, plus scientiæ abstrusioris, cujus nomen atque gloriam affectabant, præ se ferre posse, si obscuris symbolis verbisque sapientiam creparent. Testem volumus omnem eorum Hæreticorum historiam, qui excellentioris de rebus divinis eruditionis gloriam aucupantes, paulo post conditam civitatem christianam, Gnosticorum nomine eam misere deprædati sunt: quorum nugas omnes ex latebris in apricum producere, & labor & opus est;

ebrios enim loqui putes, vanos sine mente sonos fundentes, & nec sensum habentes nec inter se cohærentes. Unde EPIPHANIUS, (a) in iis ἐν αἰσάτῳ γνώμη μεθύοντος καὶ παραλαλέοντος τὰ ῥήματα, τὰ μὲν γέλωτι πεποιημένα ἕτερα δὲ κλαυθμῷ ἐμπλεα, *ebrii, animo sibi non constante & nugatorie loquentis verba, partim videnda, partim commiseratione plena deprehendit.*

§. II.

Quamvis autem hæc ita se habere, nemo temere inficias iverit, non adeo tamen insanivisse homines, neque ab ingenii opibus neque ab eruditionis cultu imparatos, credibile est, ut vana nobis nihilque significantia verba dedisse, magnisque, quas projecetunt, bullis plane nihil, quod momentum habet, dixisse censeari queant. Id enim, quamvis frequenter ab ejus ætatis doctoribus christianis eis objiciatur, (b) minime tamen verisimile est, perpendentibus, ob eruditionis haud vulgaris laudem homines istos plurimum famæ atque plausus retulisse, eosque per omnes veteris disciplinæ campos non sine sudore volutatos, eruditæ opinionis, quamvis ea fanatica fuerit, suspicionem reliquisse. Neque in ineptissimarum fabularum cortice hærendum, sed ad arcana dogmata, tanto studio, totque involucris recondita attendendum est, quibus sagaci mente erutis, stultissimæ harum hominum nugæ & obscurissima ænigmata, si non omnia, multa tamen, solvi

(a) *Adv. hæres. l. I. hæres. 26. c. 2. T. I. Opp. p. 84.*

(b) *Vid. TERTULLIANUS contra Valent. c. 5.*

solvi queunt, & eorum disciplinae lux potest accendi. At is difficilis atque diuturnus labor est, virumque poscit non emanativi tantum systematis, omnisque Orientalis & Barbaricae Philosophiae peritissimum, sed & arcanæ disciplinae methodique Ægyptiacæ non ignarum, & diu in hac arena non sine attentione & patientia versatum. Quales cum non adeo multos esse, & ingratus labor & rerum magis utilium studia patiantur, non miramur, perpaucos esse, qui Philosophiæ Gnostico- rum multum lucis accenderint, vel etiam viderint ipsi, & innumera hodie esse ænigmata in harum sectarum placitis sepulta: Quibus nostra demum ætate clavem repertam esse, lætamur, ex quo Orientalem Philosophiam non ignotam quidem penitus, at neglectam tamen, ex umbra protraxit incomparabilis MOSHEMIUS.

§. III.

Quæ omnis Gnosticæ disciplinae conditio fuit, eam imprimis Philosophiam Basilidis referre, comparatio quemlibet docere potest. Fuit is natione Ægyptius patria Alexandrinus, (c) homo, ut solebant Ægyptiorum ingenia, atræ bilis contagio mire corruptus, at eruditus tamen, & patriæ philosophiæ, quam ex Orientali enatam fuisse alibi probavimus, callentissimus, unde recte observatum EPIPHANIO (d) disciplinam circulatoris

P 5

illius

(c) EPIPHANIUS *l. c. p. 68.* CLEM. ALEXANDRINUS *Strom. l. VII. p. 764.* EUSEBIUS *hist. eccles. l. IV. c. 7. p. 97.*

(d) *L. c.*

illius ex his oris, Ægyptiorumque placitis originem habuisse. Quem cum difficillima quæstio de mali origine teneret, (e) isque a scripturæ simplicitate præ animi, quod gnosticam sapientiam affectabat, superbia sibi discedendum esse decerneret, ad systema illud emanativum delapsus est, quod mira sagacitate cum dualistico in concordiam ire iussit Zoroaster, excoluerunt, mirumque in modum auxerunt & variarunt Syri, Persæ, Asiatici, ingenia plerumque anomala, & imaginationis morbis corrupta; a Chaldæis, Persis, Orientalibusque ceteris acceptum suæ Theologiæ adaptarunt, & symbolica methodo exornarunt Ægyptii, suum fecere Judæi Cabbalistæ, Pythagorici, Platonici, Christianæ legi attemperaverunt Hæretici, ex Syria & Ægypto progressi. (ee) Id quod inita comparatione luculenter demonstrari posset, si id ageremus, & non ea, quæ fuse alibi de Valentini hæresi disseruimus, (f) rem in aprico ponerent: qui locus illis adeundus est, qui de ea re fluctuant. Itaque & indole Philosophiæ ejus ductus, & regionis illius, quam incolebat, & in qua præclarus sapientiæ magister haberi cupiebat, more persuasus, symbolis, vocibus obscuris, barbarisque, quibus ἐνοβλα ἀνοβλα scripturæ loca attemperata sunt, doctrinam suam, de origine, causâ remedioque mali vestivit, & ita incertam & tenebris obsitam reddidit, ut mirum non sit,
&

(e) *Ibid.* p. 72.

(ee) Probata hæc omnia dedimus in *Hist. crit. phil.* T. I. p. 1349. T. II. p. 190. T. III. p. 287. seq.

(f) *Ib.* p. 290. seqq.

& olim doctores ecclesiae eruditissimos eum non satis intellexisse, & hærere hodie aquam viris magnis, qui hæc solvere ænigmata ausi sunt.

§. IV.

Nihil autem vel celebrius, vel obscurius in Philosophia Basilidis quam Abraxas & Caulacau [sive Caulaucu, utroque enim modo scribi posse diversa pronuntiatio probat] hujus nugatoris. Et illud quidem nomen adeo tenebris tectum & incertæ significationis est, ut doctissimos viros in diversissimas interpretationes pertraxerit, (g) quibus tamen heic, ubi alia agimus, non inhætemus. Hoc tenebris suis ita interpretes historiæ Basilidianæ terruit, ut tantum non omnes, etiam doctissimi, de definienda certa significatione hujus vocis, quidque ea in systemate Basilidiano sibi voluerit, decernendo, desperaverint. Accidit id GRABIO (h) & MASSVETO, (i) viris eruditissimis, in eum IRENÆI locum commentantibus, in quo hujus nominis mentionem faciunt. Epiphani, Eusebii, Theodoret, quibus illud ipsum nomen ἀνιρμαλῶδες tectum est, editores commentatoresque uno PETAVIO (*) excepto, qui tamen nihil, quod rem juvet, attulit, sicco illud

-
- (g) Vid. quæ post Macarium & Chiffletium scripsit BEAUSOBRIUS *hist. de Manichéens l. IV. c. 4. T. II. p. 50. seq* MONTEAUC. *Pal. Gr. l. II. c. 8.* BASNAGE *Hist. des Juifs T. III. p. 700.*
 (h) Ad IRENÆUM *l. I. c. 24.*
 (i) Ad IR. *l. c. p. 102.*
 (*) Ad Epiph. *l. c. T. II. Opp. p. 44.*

illud pede prætereunt. Eruditissimus BEAUSO-
BRIUS (k) cum omnem Basilidis disciplinam ma-
gno studio enodaret, Caulacau quidem tetigit,
sed præter conjecturam, in se verisimilem, nul-
lam rationem addidit, in qua animus conquiesce-
ret. Itaque cum de obscuro numine locoque I-
renæi curatius cogitandi occasionem nobis vir
quidam eruditissimus ὁ νῦν ἐν ἀγίοις subministras-
set, profundius paulo, quam fieri solet, in hæc
gnosticæ *ματαιολογίας* somnia & deliramenta inqui-
rere placuit: quo eventu, lectorum sententiæ
definire relinquimus. (kk)

§. V.

Haurienda est de Caulacau Basilidis notitia, cum
Hæresiarchæ scripta perierint, ex testimoniis vete-
rum. Inter quos primus locus debetur IRENÆ-
O, (l) qui adversus hos homines ex instituto dis-
putavit, & eodem fere tempore vixit, quo insa-
num

(k) L. c. p. 29.

(kk) Quadriennium effluxit, ex quo hanc
Disertationem scripsimus alii loco destinatam;
interim prodiisse nuper, nova Liter. Lips. 1750.
n. 90. p. 798. referunt, OTTONIS NATHANA-
ELIS NICOLAI Disf. de Salvatore Basilidis Cau-
lacau dicto. Quam licet nondum visam cum ex-
plicatione obscuri ænigmatis a nostra interpreta-
tione differre, ex eo loco didicerimus, nolimus
has cogitationes nostras diutius suppressere, com-
paratione utriusque Lectoris veteris Philosophiæ
gnari iudicio permiffa.

(l) L. l. c. 24. p. 102. Ed. Mass.

num hominum genus in ecclesiam irrupit, eamque devastavit. Is de ea re ex versione interpretis veteris ita: *Uruntur autem & hi magia, & imaginibus, & incantationibus, & reliqua universa periergia: nomina quoque quædam affingentes quasi angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo cælo, hos autem in secundo, & deinceps nituntur CCCLXV. eментitorum cælorum & nomina & principia & angelos & virtutes exponere. Quemadmodum & mundus nomen esse, in quo dicunt descendisse & ascendisse Salvatorem, esse Caulacau. Igitur qui hæc didicerit, & angelos omnes cognoverit, & causas eorum, invisibilem & incomprehensibilem cum angelis & potestatibus omnibus fieri, quemadmodum & Caulacau fuisse. Illustrant hæc Irenæi verba, satis obscura, & in mendo cubantia, quæ habet THEODORETUS, (m) is enim paulo luculentius: *Quin etiam angelorum nomina effingentes, hos quidem dixerunt primum habere cælum, illos vero secundum, & ita deinceps usque ad trecentissimum sexagesimum quintum. Servatorem autem & dominum Caulacauam nominant. Hæc autem dicunt ineffabilia esse, & nec ab omnibus capi & comprehendere posse præterquam ab uno ex mille. Tertium his addimus hæresiologiæ veteris scriptorem EPIPHANIUM, (n) qui Irenæum legit, & in horrea sua ejus observationes transtulit. Is reliquis luculentius de Caulacau ita, interprete PETAVIO: *Alii Caulaucauch* *cuidam eandem venerationem deferunt, quo nomine unum ex principibus appellant* [ἀρχοντά τινα τέτον ἕτω ἀλλήλους] *quibus vocum terriculamentis commentitiisque***

ac

(m) *Hæret. fab. l. I. T. II. Opp. p. n. 418.*

(n) *Adv. hæ. l. I. hæ. 25. T. I. Opp. p. 78. seq.*

ac barbaris appellationibus imperitis hominibus imponere conantur. . . . Quod ad vocem *Caulaucauch* attinet, quis eorum qui nominis potestatem noverit, risum tenere possit, cum istos videat vocabula quædam hebraice bene concepta, nec minus commode græce reddita ab iisque qui græce legunt, plane intellecta, cum difficile nihil habeant, hæc illos tamen exprinendis suis idolis accommodare, hoc est inanibus formis, ac subsistentibus principiis, [ἐἰς ἐνότος αἰνὰς ἀρχὰς] & ut ita dicam, simulacrorum figmentis, dum vana illa nominum ambitione rudiorum mentibus errorem suum aspergunt, quo turpem illam ac fabulosam artem latius dissipent. Etenim vox illa *Caulachauch* apud *Isaiam* scripta legitur in duodecima visione cum ita loquitur: *Tribulationem super tribulationem, spem super spem: adhuc paululum, paululum adhuc expecta.* Quare ipsamet *Hebraica* verba ut illic leguntur descripta syllabis hoc loco subjiciam: Quippe *tsaula tsau tsaulatsau* tribulationem super tribulationem significat, *Caulacau* spem super spem, *Zeerscham Zeer scham* adhuc paululum, paululum adhuc expecta. Ubinam igitur est illorum commentum? ubi vanissimum illud somnium fœtus instar ab istis conceptum? unde hæc in mundo zizania? quænam genus hoc hominum necessitas coëgit, sibi ut voluntarium exitium consciscerent? Si enim ejusmodi vocabula cum eorum vim intelligerent, perniciose ludificatione detorservunt, manifeste sibimet ipsis mali auctores fuerunt: sin per ignorantiam quæ nescirent, usurpaverint, nihil his fingi potest infelicius &c. *Hactenus Epiphanius.* Reliqui veterum, qui *Basilidis* meminerunt, uno **PHILASTRIO**, (*) qui κατὰ τὸ πῆλὸν cum reliquis con-

(*) Hæref. XXXIII. p. 71.

conspirat, & qui verbo tantum ejus meminere
HIERONYMO & NICETA (**) exceptis, Cau-
 lacau tacent, (o) & idolum hoc vel ignoravisse
 plane, vel non intellectum præteriisse videntur.

§. VI.

Eandem fere fortunam Caulacau Basilidis apud
 recentiores scriptores habuit, quorum omnes fere
 hoc nomen prætermisisse ideo videntur, quoni-
 am quid illud significaverit, non assecuti sunt. (p)
 Certe qui Abraxas Basilidis explicare conati sunt,
 similem dare Caulacau explicationem non sunt
 ausi. **GRABIUS & MASSVETUS** (q) ut supra
 dictum

(**) T. I. thes.

(o) Id **CLEM. ALEXANDRINUM** quoque,
 qui Alexandriae optime rem cognoscere potuit, &
 toties Basilidianarum nugarum meminit, fecisse
 miramur. Dolemus autem librum Agrippæ Ca-
 storis, qui omnes Basilidis nugas clarissime expo-
 suit & refutavit teste **EUSEBIO H. E. l. IV. p. 97.**
 intercidisse; sine dubio enim plus inde, quam
 conjecturas, quas nunc dare possumus, haurire
 liceret.

(p) **B. Th. ITTIGIUS**, quamvis omnia de
 Basilide a veteribus relata attulisset, & de Abraxas
 quoque complura dixisset, Caulacau tamen omisit
Disf. de hæresiarch. Sect. II. c. 2. p. 98. **B. CLO-**
DIUS autem præf. **CONR. SAM. SCHURZFLEI-**
SCHIO Witeb. 1706. singularem de *Caulacau* Dis-
 fertationem scripsit, quæ philologica magis, quam
 philosophica est.

(q) H. 66.

dictum, corrupto Irenæi interpretis loco deterriti de medicina & restituendo vero sensu desperavere, nec videre se Monachus Benedictinus fallus est, quomodo spes super spem Basilidianorum deliriis aptari possit. Id quod equidem non magnopere miramur, cum tantam veteris Philosophiæ, maxime Orientalis, cognitionem non habuit, quantum præ se tulit antiquitatis ecclesiasticæ. Itaque tria ista veterum scriptorum loca inter se dissentire, ratus est, quod veritati non concinere, in sequentibus patebit. Qui vero de nominis significatione dispicere conati sunt SAM. BASNAGIUS (*), THEODORUS HASÆUS (**), aliique laudati FABRICIO (***) ; de origine tantum vocis ex Esaja petita disputarunt, quæ ad nostram translationem, quæ philosophica, non philologica est, non pertinent. Unus, desideratissimus BEAU-SOBRIUS, (r) qui critico examine Basilidis matæologiam erudite excussit, Caulacau quoque philosophice explicandum tetigit, & initio quidem totius systematis cœlestis nomen illud esse conjecit, at cum vidisset, repugnare id loco Irenæi, ad Theodoreti sententiam accessit, recteque definiit, nomen id Salvatoris esse, eo quod omnis spei fundamentum nobis esset. In quo quidem vir emunctæ naris, felixque veterum hæresium indagator deceptus haud est; ast nec rationem aliam addidit, nec ex systemate Basilidis explicuit, prodidit

(*) *Annal. polit. eccl. ad Ann. 121. T. I. p. 49.*

(**) *Bibl. Brem. T. VII. p. 495.*

(***) *Ad PHILASTR. p. 71.*

(r) *L. c.*

didit quoque vim & locum Caulacau in eo systemate non satis inspexisse, cum in tota ea re nihil mali latere pronuntiet. Quod aliter se habere ex dictis patebit. Nobis in præsentia, enarrata rei historia, jam id negotii dabitur, ut admissa Theodoretæ explicatione eam ex systemate Basilidis probemus, & cur id nomen Salvatori imposuerit, perquiramus; deinde Epiphanium atque Irenæum cum ista explicatione conspirare ostendamus; quo pacto tandem corrupto & obscuro Irenæi loco facile medicinam afferre licebit.

§. VII.

Priusquam autem hæc, quæ diximus, capita probatum imus, pauca supponere magis, quam prolixè demonstrare necesse est, cum animus non sit integram nugarum Basilidianarum explicationem afferre. Et primo quidem facile nobis largientur, qui historiam philosophiæ, exsurgente monarchia Romana, florentis curatius perquisiverunt & cum sacrae civitatis historia comparaverunt, Basilidis doctrinam, ut reliquorum Hæreticorum, qui se a sublimiore divinarum rerum cognitione Gnosticos nuncupaverunt, cum Philosophiæ Orientalis & Ægyptiacæ systemate, tunc magna divinitatis opinione vigente, non convenire tantum, quoad præcipua principia & opiniones, sed vero esse longe simillimum, Basilidem, hominem Ægyptium, & in patria eandem si superis placet sapientiam edoctum inde occasionem sumsisse, manus his deliriis dandi, eaque Christianorum placitis ita attemperandi, ut hæc Christi disciplina suæ gentis genio & eruditioni placere posset. De quo si quis dubitaverit, ejus patientiam exora-

mus, ad relegenda ea, quæ in *Historia critica Philosophiæ*, de Philosophiæ Orientalis systemate, ejusque principiis, tum de ejus auctoritate inter Gnosticos prolixè satis diximus. (s) Quæcunque enim Orientalis Philosophia præcepit, ea, si peculiariora quædam, quæ ad distinguendum ab aliis systema suum Basilides excogitavit, demas, etiam apud hæresiarcham occurrunt: cuncta ad emanationum divinarum seriem constituendam directa, omnia systemati emanativo applicata, rerum omnium origines ex Deo asertæ, ineffabile Numen suppositum, exque ejus abyssu per varios ordines gradusque rerum omnium ortus descriptus; origo mali per declinationem emanationum ad tenebras & privationem id est materiam introductarum, explicata, æones & principia divina ἐνοποιητικὰ ideo excogitata, pleroma divinum miris substantiarum emanatarum seriebus repletum, mundi visibilis origo & corruptio a principiis emanantibus longiusque a fonte primo deviantibus aserta; revocati homines per purgamenta a scoriis malorum geniorum eorumque potestate in mundum materiale ad refluxum per principium emanativum primum, ad fontem Deitatis &c. Quibus methodus symbolica, arcana, obscura & initiatis tantum pervestigabilis addenda est. Hæc in Valentini systemate libro citato fecimus manifestissima, quod cum non nisi ingenii magis erudite luxuriantis modulo a Basilidiano differat, facilis labor erit, omnia hæc cum dogmatibus Basilidis comparare, ut evidentissima pateat

(s) T. III. p. 290. seqq.

pateat concordia. Itaque his latius probandis, ne actum iterum agamus, supersedemus, & unum HIERONYMUM (t) vadem sistimus, fatentem, *universum pene errorem de Chaldaeo & Syro & Græco sermone exortum esse.* Idem Gnosticos ipsos jactasse refert PORPHYRIUS. (u)

§. VIII.

Alterum, quod præmonendus lector est, in eo versatur, Basilidem, more Ægyptiorum, Philosophiam suam de divinis deque mundo & malo obscuris vocibus & ænigmatibus texisse, ut & admirationem novæ & inauditæ rei consequeretur, & se Orientali atque Ægyptiacæ methodo attemperaret, quæ symbolis, figuris, numinibus ignotis cuncta recondit. Quem in modum Cabbalistas quoque similia decreta occultasse alibi demonstravimus. Maxime vero ideo substantias suas divinas atque æonas in ignotos Deos transmutavisse videtur, ut eo magis conterraneis suis placeret, quos omnium maxime circa πολυθεότητα insanivisse, & religiosiores aliis videri voluisse constat. (x) Nempe persuasisse sibi videtur homo ineptus, facilius ad recipiendam fidem Christianam philosophica veste ornatam persuaderi posse Ægyptios, si nova & ignota illis numina adduci crederent. Et has quidem causas Basilidi fuisse verisimile est,

Q 2

CUR

(t) *Adv. Jovinian. l. II. p. 429.*

(u) PORPHYR. *in vita Plotini c. 16. Hist. crit. phil. T. II. p. 368.*

(x) *Geographus vetus a GODOFREDO editus p. 17.*

cur barbaras voces ex Hebraica & Chaldaica lingua quales fuere Barbeloth, Jaldabaoth, & Caulacau, vel ab inusitato nomine Græco petitas, qualis erat vox Prunicus, vel excogitatas cabbalistico literarum usu & potestate, cujus generis Abraxas est, Philosophiæ suæ decreta obscuraverit. Nec procul a scopo EPIPHANIUS ferit, contendens, *his vocum terriculis commentitiisque ac barbaris appellationibus eum imperitis hominibus imponere conari.* Idem visum EUSEBIO, (*) qui Basilidem, προσχήματι ἀπορρητέρων δυσσεβῆς αἰρέσεως περατώδεις ἀναπλάσσει μυθοποιίας specie arcanorum [verborum atque mysteriorum] portentosas fabulas impiæ hæreseos commentum fuisse ideo conquestus esse videtur, quod ejusmodi vocum reconditarum & ad arcanam methodum referendarum artificio fabulas suas theogonicas texerit. Pari ratione de ea re loquitur HIERONYMUS: *abuti hisce verbis immundissimam hæresin apud simplices quoque & deceptos, ut terrorem faciat novitate sermonum, quod scilicet qui hæc verba cognoverit, & in coitu eorum meminerit, absque ulla dubitatione transeat ad regnum cælorum.*

His præsuppositis, ut quid Caulacau Basilidi dictus fuerit intelligamus, scrutandum systema fanatici Philosophi ejusque theogonia & cosmogonia exploranda est, ut quem Caulacau suo locum in ea assignaverit, discamus. Idem vero cum Basilidi constitutum fuerit, quod Gnosticis reliquis, ut ostenderet, quomodo ex summo Deo omnia fluxe-

(*) ll. c. conf. PLOTINUS, *Enn. II. l. IX. c. 10. p. 209.*

fluxerint, quomodo malum exortum sit, quomodo in Deum sublato malo revertantur omnia, quo mediatore divino ab ejus imperio liberari mundus queat, quod ex Irenæi, Theodoretī atque Epiphaniī testimoniis constat, sequitur inde Caulacau ex principiis illis divinis & emanativis fuisse, quæ ex inexhausta & incomprehensibili Divinitatis abyſſo progressa pleroma divini luminis substantiali hypostasi repleverunt, & quorum unum ex pleromate progressum ad juvandum mundum inter homines comparuerit. Diserte hoc testatur THEODORETUS, (y) *ingenitum, cum bella angelorum nationibus imperantium vidisset, mentem suam primogenitam misisse, quam etiam Christum appellaverit, ut servaret eos, qui vellent credere. - - - Servatorem autem & Dominum Caulacau nominare.*

§. IX.

Quæ cum ita se habeant, dicendum porro, quis emanationis ordo Basilidi placuerit, ut intelligatur inde, idem principium emanativum divinum ab hæresiarcha admissum esse, quod Simoni Mago *δύναμις Θεῶν*. summa Dei potestas, Cabbalistisque Adamkadmon vocatum est, id est prima & principalis emanatio, tanquam radius ex divini luminis oceano transmissus in mundum inferiorem, ut cuncta illustraret, a tenebris liberaret, & quos ad materialitatem suscepta inclinatio malos fecerat angelos [scorias vocant atque cortices Cabbalistæ] vinceret. Rem itaque ut paucis ab ovo exordiamur, patientiam lectoris paulisper

Q 3

roga-

(y) L. c.

rogamus. Displicuere Basilidi Simonis Magi, Menandri & similium genealogiæ divinæ, ex Orientali Philosophia haustæ, eo quod philosophicæ tantum fuerint, minusque commode ad Christiana placita transferri potuerint. Meliora itaque daturus, ad infiniti naturam accuratius attendendum sibi esse censuit. Constat id testimonio IRENÆI, (z) qui diserte, *Basilidem ait, ut altius quid & verisimilius invenisse videatur, in IMMENSUM extendisse sententiam doctrinæ suæ*; Idem EUSEBIUS (aa) monuit, *ἐἰς τὸ ἀπειρον τείναι τὰς ἐπινοίας* ad immensum retulisse cogitationes suas, quod minus recte assecutus est doctissimus VALESIUS, (bb) contendens *fabulas interminatas & vagas nullo certo modo ac termino definitas & veritati certæ ac suis spatiis circumscriptæ oppositas* intelligi. Eusebius enim, Irenæum secutus, de origine & generatione æonum sive emanationum in infinito pleromate agit, & qua ratione melius, quam Menander & Saturninus fecerant, se infiniti rationes emanativas explicare posse Basilides crediderit, exponit. E-mendatius vero se philosophari posse, propiusque ad Christiana placita accedere ratus est Basilides, si quantum posset mundi materialis originem quam longissime ab infinito pleromate & a summa potestate, secus ac Menander ac Saturninus instituisse videbantur, removeret: Itaque ad emanationis divinæ ordinem confugit, quem Gnosticæ Philosophiæ cardinem fuisse, & ipsa syste-
mata

(z) L. c.

(aa) L. c.

(bb) *Ad l. c. Euseb. p. 55.*

mata eorum inter se comparata loquuntur, & haud obscure prodidit PLOTINUS. (cc) In hac autem rerum divinarum abyſſo, ita emanationum ordinem, teſtibus Irenæo, Theodoreto, & Epiphanio diſpoſuit, ut diceret τὸν ἀγένναλον νῦν πρῶτον γεννῆσαι, ἐκ δὲ τῆ νοῦς προβληθῆναι τὸν λόγον, φρόνησιν δὲ ἀπὸ λόγου, ἀπὸ δὲ φρονήσεως σοφίαν καὶ δύναμιν, *ingenitum mentem primam omnium genuiſſe, ex mente projectam fuiſſe* [memorabili ſyſtematis emanativi vocabulo, ut alibi (ee) demonſtratum] *rationem, ex ratione prudentiam, ex prudentia ſapientiam & virtutem.* (dd) Hæc iſta principia divina ſunt, per quorum ordines immenſitas divina emanari attributa ſua & operationes ad inferiora paſſa eſt. Quæ tamen cave meras affectiones, virtutes & attributa divinitatis Baſilidi fuiſſe putes. Nam hoc univerſo ſyſtemati Gnoſtico & toti Philoſophiæ Orientali & Ægyptiacæ adverſum eſt, quæ emanationibus divinis hypoſtaſin, licet cum ſummo Numine radicaliter unam tribuere ſolebat, ut vel ſolæ Sephiræ Cabbaſticæ, & primus homo apud Cabbaſtiſtas docere poteſt. Neque aliud velle vel evincere æonum nomen, ſuo loco probatum dedimus. (ff) Teſtem autem damus EPIPHANIUM, qui idola Baſilidis eſſe μορφάς, καὶ ἘΝΥΠΟΣΤΑΤΙΚΑΣ ἈΡΧΑΣ *formas & principia ſubſiſtentia* &, quod ex ſuo

Q 4

addit,

(cc) L. c. c. 10. p. 110.

(dd) THEODORET. l. c. CLEM. ALEX. Strom. l. IV. p. 529. addit juſtitiam & pacem.

(ee) Hiſt. crit. phil. T. III. p. 385. ſeqq.

(ff) L. c. T. II. p. 647.

addit, ἀνδριανοπλάσιας, efficitur statuas, eo quod
 ejusmodi simulacra & statuas, sive personas quas-
 dam in divinis effingant, testatus est. Miramur
 itaque, non MASSVETUM tantum putavisse,
 Basilidem æones non re, sed virtute duntaxat &
 ratione, ab innato patre distinxisse, sed BEAU-
 SOBRIUM quoque, illo in veteris Philosophiæ
 decretis perspiciendis longe oculatiorem, credidis-
 se, æones has tantum esse perfectiones divinæ
 naturæ secundum Basilidem, quæ ab ea se nun-
 quam separent, sed concentratæ ab omni æterni-
 tate in essentia divina, cœperint se extendere &
 dilatate, cum Deo placuisset res formare: nem-
 pe esse lumina atque radios ex divina essentia
 emanantes quæ ab ea non aliter distinguantur,
 quam dimensiones a substantia extensa. Hæc
 enim si mens Basilidis, & qui cum eo in hac
 parte omnes fere steterunt, Gnosticorum, fuisset,
 nonnisi in rationis signo istæ æones concipiendæ
 essent, & hac quidam ratione, nec ex pleromate
 ad condendam NB. modo emanativo, materiam
 progredi potuissent, nec peculiarem hypostasin
 efformare. Quin ipse Caulacau noster plenus ejus
 rei judex est. Is enim cum princeps æon fuerit
 nempe mens patris, descenderitque in mundum
 ad liberandos homines, necessario hypostatico dis-
 crimine a patre distinguendus est. Licet cetera
 lubenter fateamur, æones & radicaliter unum
 cum fonte Deitatis esse, & in eo subsistentiam,
 velut in scaturigine sua habere, & longa aliam si-
 gnificationem æonis esse, quam est personæ in
 mysteriis Christianis, uti latissime in explicatione
 Systematis cabbalistici docuimus. (gg) Quare per-

(gg) *Hist. crit. phil. T. II. p. 985. seqq.*

perperam judicasse virum eruditissimum putamus, cum diceret, haecenus rationi & prudentiæ convenienter Basilidem docuisse. Has vero, quæ in divino pleromate sunt, æonas, conjugis inter se ad propagandum emanationum ordinem, Basilidem copulasse, ex CLEMENTIS ALEXANDRINI loco (hh) discimus, ubi mentione demiurgi Basilidiani facta diserte: ὅσα ἐκ συζυγίας προέρχεται, πληρώματα ἐστίν, ὅσα δὲ ἀπὸ ἑνὸς, εἰκόνας, quæcunque procedunt ex conjugatione, pleromata sunt, id est, plenitudines, quæcunque autem ab uno, imagines. Qui canon præcipuus Philosophiæ Orientalis, ubi recte intelligitur, cognosci inde potest, qua ratione ex principiis activis & passivis in divinis non tantum lucis plenitudinem [subjectum scholastico nomine diceremus], sed & formam & imaginem ineffabilis Deitatis tum Basilides, tum reliqui Gnostici, quique ex Orientali Zoroastris disciplina progressi sunt, Philosophi ceteri, derivaverint. Et hæc quidem secundum Basilidem in mundo intellectuali, divino, luce cœlesti pleno acciderunt.

§. X.

Ex mundo intelligibili ad sensibilem progressus Basilides, non parum, ut videtur, offensus est difficili quæstione, qua ratione in hunc adspectabilem mundum præter perfectiones divino opificio dignas malum quoque, tum imperfectionis, tum malitiæ, physicum & morale hodie dicimus, irrepsit. Quæ quæstio ut omnem Orientalem metaphysicam peperit, ita potissimum fœcunda

Q 5

mater

(hh) L. IV. p. 509.

mater fuit somniorum Gnosticorum. Quam ut solveret, suppositis emanativis principiis, non aliam, quam reliqui, originem rerum creatarum posuit. Gnostici autem teste PLOTINO, (*) *demurgum descendentem a matre fingentes mundum ab ipso deducebant ad extrema simulacrorum, quo interprete quoque scimus, ex eorum mente animam atque sapientiam quandam, id, quod inferius est, concupivisse [νεύσαι] sive id coeperit anima, & hujus generis causa extiterit, sive sapientia quaedam, sive utraque idem concupiverit: inde vero alias animas condescendisse veluti membra sapientiae, & has corpora humana fuisse ingressas.* Ex quo memorabili loco patet, rerum materialium, conditi mundi, creatorum hominum origines obscurissimos Philosophos, ad quandam syzygiam divinarum æonum, pleroma egressarum & ad inferiora emanationem extendentium retulisse. Hoc ut Valentinus exposuerit, alio loco planum fecimus. Basilidem similia præcepisse, Irenæi, Theodoret, Clementis Alexandrini, Epiphaniî narrationes nos dubitare non sinunt, quamvis non in omnibus illæ inter se concordent. Et Irenæus quidem ita rem narrat: *A dynami atque sophia virtutes & principes & angelos, quos & primos vocet, & ab iis primum cælum factum; dehinc ab horum derivatione alios autem factos aliud cælum simile priori fecisse, & simili modo ex eorum derivatione cum alii facti essent, antitypi ejus, qui super eos essent, aliud tertium deformasse cælum; & a tertio deorsum descendentium quartum, & deinceps secundum eum modum alteros, & alteros principes & angelos fa-*

ctos

(*) L. c.

Etos esse, & cœlos CCCLXV. quapropter & tot dies habere annum, secundum numerum cœlorum. Eos autem, qui posterius continent cœlum, angelos, quod etiam a nobis videtur, constituisse ea quæ sunt in mundo omnia, & partes sibi fecisse terræ, & earum, quæ super eam sunt, gentium. Idem prorsus tradit Theodoretus. Nec abludit Epiphanius, (ii) barbaras principum ac potestatum per unum quodque cœlum appellationes innumeras, memorans, qui & alio loco (kk) potiora nomina principum potestatumve cœlis variis præsentium enarrat. At non omnibus is angelis creationem mundi tribuit, sed eum, qui septimo cœlo præsit, Sabaoth dictum, esse cœli terræque conditorem, tum eorum, qui consequuntur, orbium cœlestium, angelorumque suorum dicit. Aliter quam hi omnes, CLEMENS ALEXANDRINUS, (ll) ipse Ægyptius, & nationis suæ opinionum callentissimus. Is Basilidis verba recitat, statuentis: *mortis generationem esse opus ejus, qui creavit mundum; deque hoc Deo dixisse tradit: quo est minor imago viva facie, eo est minor mundus viva æone: quænam est ergo causa imaginis? faciei majestas, quæ pictori exhibuit figuram, ut per ejus nomen honoraretur: non enim ex se & sua auctoritate fuit forma inventa, sed impleant nomen, quod in creatione erat imperfectum: cooperatur autem id quod invisibile est in Deo, ad fidem ejus quod effectum est.* Addit his Clemens: τὸν, μὲν δημιουργόν, ὡς Θεὸν καὶ πατέρα κληθέντα, εἰκόνα, τῆ ἀληθινῆ Θεῶ καὶ προφύτης

(ii) L. c. c. p. 78.

(kk) p. 91.

(ll) Stromat. l. IV. p. 509.

φήτην προσεῖπεν • ζωγράφον δὲ τὴν σοφίαν, ἥς τὸ πλάσ-
 μαι ἢ εἰκὼν, εἰς δύο τῶ ἀοράτῃ • ἐπὶ ὅσα ἐκ συζυ-
 γίας προέρχεται, πλήρωμά ἐστι, ὅσα δὲ ἀπὸ ἐνός, εἰ-
 κόνες, *Creatorem, qui Deus & Pater vocatur, ima-
 ginem veri Dei prophetam dixit; pictorem autem sapien-
 tiam, quæ figmentum produxit imaginem ad gloriam
 invisibilis Dei: quæcunque enim ex conjugatione proce-
 dunt ad pleromata pertinent, quæ vero ab uno, ad
 imagines.* Disfidere hæc inter se, & Irenæum qui-
 dem multos creatores, eosque malas potestates
 ponere, Clementem unum demiurgum, eumque
 divinum, Dei imaginem, recte monuit acutissi-
 mus BEAUSOBRIUS, (mm) qui & putat fabu-
 lam nobis narrare Irenæum, CCCLXV. cælos,
 totidemque angelos creatores commentum, quod
 Persarum Philosophiam, ex qua sua hauserit Basi-
 lides, quæque singulis anni diebus singulos ange-
 los præficiat, non rite intellexerit. Quamvis au-
 tem non satis accurate Basilidis mentem exposuisse
 videatur Irenæus, putamus tamen eum cum Cle-
 mente posse in concordiam redigi, modo ad ip-
 sum systema, & verba Clementis recte attenda-
 tur. Secundum systema enim Orientale, Persi-
 cum, Chaldæum, Ægyptiacum, quale eo tem-
 pore viguit, ex pleromate per syzygiam sive co-
 pulationem principii activi & passivi progressus
 est ad condendum mundum demiurgus; nempe
 ex potentia & sapientia, quarum æonum in ple-
 romate ultimarum productio, quæ creatorem ex-
 hibuit, secundum emanativi systematis leges,
 imaginem invisibilis Dei retulit, eique per sapien-
 tiam

tiam rerum condendarum ideæ sive formæ & picturæ, velut rerum *αὐτογράφα* impressæ sunt. Itaque Clemente auctore demiurgus ratione originis ex divino pleromate, nempe conjugatione ultima ortum habet, & ideas rerum habet ex derivatione ab uno, ut Majestas ineffabilis Deitatis reluceret. Nihil hic dictum, quod non Cabbalisticis quoque placuisse suo loco docuimus. Et hactenus creatorem bonum esse constat. At cum ipse quoque Clemens tradat, Basilidem hunc ipsum creatorem mortis auctorem facere, certum inde est, mali, quod in mundo est, eum quoque auctorem esse. Id quod nulla alia ex ratione derivari potest, quam quia demiurgus, oblitus originem ex pleromate, sive plenitudine lucis, propter illustrandas tenebras ad inferiora inclinaverit, sicque ex mixtura lucis & tenebrarum mundum condiderit. Hanc enim Gnosticorum doctrinam fuisse, disertis verbis testatur PLOTINUS; (nn) *Animam atque sapientiam quandam ad id, quod inferius, inclinavisse, & alias animas condescendisse, & sapientiæ membra, easque ingredi corpora humana, cuius autem gratia animæ collapsæ sint, illam rursus minime labi, quasi non annuerit, vel inclinaverit, sed tantum tenebras illustraverit: deinde hinc simulacrum in materia resultasse, & inde simulacrum simulacri formam per materiam sive materialitatem, & sic demiurgum constitui.* Obscurus quidem hoc loco, more suo, est Plotinus, eo quod absurditatis Gnosticos rationibus metaphysicis cupit convincere. Ex iis autem, quæ fundamenti loco substernit, aper-

tissi-

(nn) L. c.

tissimum est, inclinationem demiurgi, & sapientiae in eo residentis ad illustrandas in creatione tenebras causam fuisse materialitatis: nempe ut habet JAMBLICHUS: (oo) *distinguendo materialitatem ab essentialitate*, id est, privationem, quæ tenebras mortemque involvit, ab essentia spiritali, quæ ex principio emanativo omnibus inest. Comparatum his systema Valentinianum, & difficiles hæc nugæ, at toti tunc Orienti communes multa luce radiabunt.

§. XI.

Altera difficultas, quam de numero creatorum cælorumque a principibus conditorum movet Beausobrius, ita tolli potest, ut inter creatorem ex pleromate progressum, & inter angelos ab eo emanationis lege productos, ut administri essent in creationis opere, distinguatur. Vidit id ipsum Vir optimus nobisque desideratissimus, & monuit, atque memorabili Clementis loco illustravit. Possumus his addere Cabbalistas, qui ex iisdem fontibus sua hauserunt, in quorum systemate unus mundus alteri subordinatus est, parique potestate subordinata angeli cujusvis mundi sunt, ut alibi demonstratum. (pp) Immo magis notandum, ipsum Zoroastrem, a quo hæc Philosophia exco-gitata, & ad sequentia tempora transmissa est, hunc in modum creationem descripsisse, statuentem: *sex Deos Oromasden fecisse, primum benevolentia,*

(oo) *De myst. Ægypt. Sect. VIII. c. 1. p. 152.*

(pp) *T. II. Hist. crit. phil. p. 1025. seq. quæ accurate expensa obscuris Orientalium nugis lucem conciliare apta sunt.*

*tia, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos
 sapientiæ, divitiarum, & voluptatis, quæ honesta
 consequitur, opificem. Deinde eum se triplicasse, & a
 sole [Mithra, fonte ignis primævi] tanto interval-
 lo se removisse, quanto a terra sol abest: ac cælum stel-
 lis decorasse, unamque ante alias tanquam custodem &
 speculatorem constituisse Sirium, alios porro viginti qua-
 tuor Deos condidisse, & in ovo posuisse &c. Ægypti-
 os vero, ad quos ea quoque Philosophia dima-
 navit, similiter præcepisse, JAMBLICHUS (rr)
 testatur, narrans, præter æonas vel duces cœle-
 stes supremos rerum visibilium opificio alios du-
 ces præesse, nempe *δημιουργικὸν νῦν, καὶ τῆς ἀλη-
 θείας προσάτην, καὶ σοφίας, ἐρχόμενον μὲν ἐπὶ γένε-
 σιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμένων λόγων δύναμιν εἰς
 φῶς ἀγούσα, opificem mentem, qui & veritatis custos
 sit & sapientiæ, quatenus ad generationem descendat,
 & incognitam rationum latentium vim producat in lu-
 cem. . . . Esse & alium principatum apud illos super
 elementa tota in generatione posita, virtutesque eorum,
 esse enim quatuor masculas totidemque fœmininas; hunc
 Soli tribuere: item alios principatus super naturam om-
 nem in generatione versantem, quem Lunæ assignent:
 DIVIDENTES VERO COELUM IN PARTES DU-
 AS VEL QUATUOR, VEL DUODECIM, VEL
 SEX ATQUE TRIGINTA, VEL HARUM DU-
 PLAS, VEL ALITER QUOMODOCUNQUE DU-
 CES HIS PRÆFICERET AUT PLURES AUT
 PAUCIORES: denique his omnibus unum præficeret,
 qui omnibus superior sit. Atque ita Ægyptiorum do-
 ctrinam**

(qq) PLUTARCH. de Isid. & Osiride.

(rr) L. c. c. 3. p. 159.

Etrinam de principiis desuper ad inferiora progredientes ab uno incipere, & desinere in multitudinem unius imperio gubernatam &c. Quem locum systema Gnosticum mire illustrare, & veras ejus origines pandere vidit jam MASSVETUS, ast cum Persicam & Orientalem Philosophiam in Ægypto patriis placitis & Græcis theogoniis attemperatam ignoraret, & mere Platonica hæc esse putaret, in errorem actus est. Mire autem, non omne tantummodo dogma Gnosticum de origine & administratione mundi visibilis illustrat, sed imprimis ea, quæ duce Clemente Alexandrino, Irenæo, Theodoretto & Epiphanio de Basilidis ea in re mente dicta sunt, in aprico ponit. Nempe rationem aperit, quomodo per emanationis viam a summo fonte rerum omnium effluxerit demiurgus, POTENTIA & SAPIENTIA gravidus, qua ratione rerum ideas, simulacraque sive rationes latentes impresserit, & quo pacto deinde potentiæ subordinatæ in condendo & administrando mundo se gesserint, gerantque adhuc. Quæ cum clarissima sint, dubium non est, quin Basilides, qui Ægyptiacam Philosophiam secundum principia Orientalia expressit, eadem ratione statuerit: sicque in concordiam diversæ narrationes doctorum ecclesiasticorum possunt redigi. Neque prætereundum hoc loco est, constare ex verbis Jamblichi, Ægyptios pro lubitu cælum in plurimas partes divisisse, iisque potestates minores præfecisse. Quod cum Ægyptiis solenne fuerit, causam non videmus, cur Irenæus, Theodoretus, Epiphanius mendacii vel erroris, quod vult Beausobrius, coarguendi sint, quod ineptam hypothesein Basilidi tribuerint. Ut enim taceamus, non adeo ineptos esse tot cælos

los Basilidis, ubi semel ejus systema admittitur, ac videri potest illis, qui sana ratione philosophari solent, ipse parallelismus inter placita Persica, Ægyptiaca ac Basilidiana evincit, revera istas nugas his hominibus placuisse, quos ob absurditatem opinionis excusare velle, est causam eorum agere, non historiam criticam scribere. Fatemur tamen verisimile nobis videri, tot cœlos, quos angeli & potestates varii ordinis illis præfectæ esse dicuntur, non tam distinctos cœlos, quam cœlestes sedes & potentias in illis definitas significare: qua de re tamen plura, ne extra oleas vagemur, hoc loco dicere non licet.

§. XII.

Qualis hujus creatoris & administratorum ejus cœlis præsidentium conditio secundum Basilidis systema & opinionem sit, ex dictis facile est colligere. Quamvis enim demiurgus ratione originis bonus fuerit, quippe qui ex pleromate divino processit, sapientiæ & potentiæ divinæ filius, at tamen quia ad inferiora inclinavit, ut tenebras illustraret, ex ea mixtura mortem malumque inducere necesse habuit. Fatemur insulsum & illepidum hoc systema esse, ast de eo jam non quæritur, sed tantum de mente ejus, quæ alia esse nequit, ubi semel cum Orientali Philosophia duce Zoroastre statuitur, ex uno fonte lucis principium fuisse exortum, quod quia limitatæ virtutis est, tenebras necessaria sequela post se traxerit. Quod qui capere nequeunt, quomodo lucis & tenebrarum principia cum emanativo principio consistere queant, illis elegans locus Sharistanii,

scriptoris Persici, a TH. HYDEO [ss] productus legendus est, qui omnia plana faciet & clarissima. His enim hoc loco immorari non vacat; sufficit, teste Clemente, mortis auctorem demiurgum visum fuisse Basilidi, nec aliter potuisse propter naturam systematis emanativi, & remotum a pleromate demiurgi locum, quem illi assignabat statuere. [**] Ex hoc autem sua sponte fluit, deterioris conditionis, pejorisque indolis debere esse angelos creatoris ministros, mundi partibus cœlisque præfectos, eo quod longius a pleromate remoti, magisque rebus materialibus immerfi sunt. Hinc iræ, tyrannides, sanguinis sitis, bellorum causæ, & mala alia innumera, quibus homines ab istis angelis mundi dominis & præfectis vexantur, quasque hac ratione malorum omnium physicorum pariter atque moralium causas esse testibus Irenæo, & Theodoreto, Basilides statuit, nec ille solus, sed omnis quoque Gnostica Philosophia professa est. Comparari cum hac angelorum mundi directorum malitia Hebræorum Cabala debet, & ea expendenda, quæ de Klipboth sive corticibus angelisque malis nugantur, & quæ alibi exposuimus: ea enim opiniones Philosophiæ Orientis in his deliriis amplissime insanientis mire illustrabunt. Ipsam quoque hominis animam ex summo fonte delapsam & ad inferiora vergentem, cum per harum potestatum sedes & regiones transiret,

[ss] *De relig. vet. Pers.* p. 299.

[**] Luci, quam viderat, obstat, BEAUSO-BRIUS *l. c.* p. 19. rationes Platonicas hic admiscens, quæ longe diversæ sunt.

iret, simulacra simulacrorum induisse, juxta Gno-
sticos, teste PLOTINO [tt] opus erat, ex qua
caussa mali moralis originem repetebant, & ad
hos angelos causam devolvebant: quo pacto scin-
tillam illam, quæ animæ ex divinæ lucis oceano,
ex quo effluxit, inest, supprimi, hincque omnis
infelicitatis causam oriri necesse erat. Magno ita-
que Salvatore opus erat, qui spem amissam resti-
tueret. Et hic Caulacau ille est, de quo jam por-
ro tractabimus.

§. XIII.

Nempe ex inclinatione illa ad inferiora, quæ
tenebras post se trahebat, cum & ipse demiur-
gus, & qui ab eo conditi sunt angeli, in creando
mundo innumeras restrictiones, privationes, mala
mortemque ipsam admittere deberent, anima ex
cælo delapsa & hos limites transiens affectuum ca-
coethes contraxit, qui secundum Basilidem sunt
προσαθήματα, *appendices ex hoc transitu adnata*, nem-
pe spiritus [materiales,] appensi animæ ratione præ-
ditæ, per quandam confusionem & conturbationem prin-
cipiorum [σύγχυσιν ἀρχικῶν] quibus & alias rursus
spirituum adulterinas & diversi generis naturas adnasci
dicebat. Ita CLEMENS, [uu] cujus verbis lucem
egregie affudit BEAUSOBRIUS. [*] Qui licet
hanc confusionem perperam ex Platonica materiæ
conditione derivet, in eo tamen acute vidit, quod

R 2

hæc

[tt] L. c.

[uu] Stromat. l. II. p. 408.

[*] L. c. c. 2. p. 20. seqq. ubi recte Massue-
tum notat, qui hoc Philosophiæ genus non satis
est assecutus.

hæc confusio principiorum, in mixtura lucis & tenebrarum, ad originem mundi materialis, ex Philosophia barbarica sive Chaldæa, [Orientalem nos, ob latitudinem terrarum, in quibus floruit, dicimus] referenda sit, licet materiam æternam, quod tamen Vir eruditissimus vult, in tenebris non posuerit, uti ex PLOTINO (xx) est evidentissimum. Ita cum in mundum & præcipue hominem, mali generis spiritus descendissent, remedium altius & supra demiurgum ad pleroma usque asurgens assignandum erat, quo spirituum materialium malignitas superari, hominesque ab iis liberari possent. Scilicet mentem divinam, quæ proxima ab ineffabili Deo æon est, miseram animarum, a malis istis spiritibus vexatarum, velut principalem Dei summi virtutem in mundum descendisse, Basilides docuit. Rem ita narrat IRENÆUS: *Innatum & innominatum patrem, videntem perditionem, misisse primogenitum Nun suum, [& hunc esse, qui dicitur Christus] in libertatem credentium ei, a potestate eorum, qui mundum fabricaverunt. Et gentibus ipsorum autem apparuisse eum in terra hominem & virtutes perfecisse; quapropter neque passum eum, sed Simonem quendam Cyrenaum angariatum portasse crucem ejus pro eo; & hunc secundum ignorantiam & errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur, ipse esse Jesus: & ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, & stantem irrississe eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, & Nus innati patris, transfiguratum quemadmodum vellet, & sic ascen-*

(xx) L. c. c. 12. p. 211. qui locus memorabilis est.

ascendisse ad eum, qui miserat eum, deridentem eos, cum teneri non posset, & invisibilis esset omnibus. Eadem prorsus recitat Theodoretus: nec multum discedit ab ea narratione EPIPHANIUS, [yy] qui eum ita de Christo sensisse dicit: *Specietenus* [ὡς δοκῆσι] duntaxat mortalibus apparuisse, quippe quod in eo cernebatur, nihil præter imaginem fuisse, neque vero aut hominem extitisse, aut carnem induisse. Quibus cum fabulam de Simone Cyrenæo crucifixo subjecisset, addit: *Eum nihil perpessum in cælum evolasse. Interea Simonem, non Christum in crucem sublatum esse: Jesum enim in cælum evectum virtutes omnes penetravisse, dum ad patrem suum reversus sit. Hunc enim esse illum patris commemoratum filium, qui ad opem humano generi ferendam submissus sit, propter eam quam inter homines perinde ac angelos perturbationem cœlestis pater viderat. Atque hunc esse salutem nostram, qui in mundum venerit, solisque nobis hanc rei veritatem aperuerit. His patrum testimoniis si standum est, Christus prima æon fuit, emanatioque primaria, πρῶτότοκος τῆ πατρὸς, mens divina ad medendum malo in mundo materiali omnia susque deque vertenti missus, liberator & Salvator futurus. Is verum corpus non induit, sed putatitium, in quo visibiliter miracula divina patravit; Ast cum odio angeli Judaicæ genti imperantis, & nationem hanc rabie in illum exagitantis ad crucis supplicium raptus esset, cruci tamen affigi non potuit, sed ascendit ad cœlos, delusa Judæorum protervia, qui Simonem Cyrenæum in ejus figura cruci affixerunt, cum ipse ad pa-*

R 3

trem

[yy] L. c. p. 71.

trem rediens, transiensque angelorum malorum ditiones eos vicisset, salus spesque una futura in eum credentibus. Fatemur, nos nihil vel absurdi vel ἀνακολέθου videre in hoc philosophemate Basilidis, ubi semel principia ejus admittuntur, licet impium in se sit, & evangelicæ veritati adversum: At intercessit iterum eruditissimus BEAU-SOBRIUS, [zz] & imprimis Irenæum falsis narrationibus & documentis deceptum ineptam Basilidi sententiam tribuisse demonstrare aggreditur. Nam nec Theodoreti nec Epiphanii testimonia respicit, forte quod eos exscripsisse tantum Irenæum adeoque pro diversis testibus habendos non esse crederet. Ut autem si non mendacii, deceptæ tamen fidei Irenæum arguat, se evidenti CLEMENTIS ALEXANDRINI [aaa] loco permoveri fatetur. Ibi Doctor Alexandrinus, quem propius conterranei sui opiniones pernovisse contendit, late de Basilidis decreto disputat, quod martyrii nullum proprie præmium sit; ipsa quoque verba Basilidis affert, disputantis, præmium dari non posse ei, qui ex merito patiatur. Omnes autem ex merito pati, aut enim propter delicta pœnis & supplicio affici, aut pati quamvis innocentes, ut infantes, eo quod peccandi naturam & potestatem in se habeant, ideoque etiam pro peccatoribus habendos esse, ne providentiæ passionem immittenti malum aliquod adscribatur. Rationem addit Basilides, ex Jobo, καθαρὸν ἔδεναι ἀπὸ ῥύπης, nullum esse mundum a sordibus & hominem,

[zz] L. c. p. 25. seqq.

[aaa] Strom. l. II. p. 506.

minem, quemcunque nominaveris, tamen hominem esse, Deum autem justum. Quod si quis ipsum Dominum objiciat tanquam hominem, ut ipsum pudore confundat, eo quod passus sit, dicere se: *non peccavit quidem, sed erat similis infanti patienti, immo quemcunque hominem nominaverimus, hominem esse, & a naturali sorde minime purum*: Quibus Basilidis verbis enarratis hæc, ut impietatem impostoris detegeret Clemens subjicit: Πῶς δὲ ἕρ ἀθεος, θειάζων μὲν τὸν διάβολον, ἀνθρώπον δὲ ἀμαρτητικὸν τολμήσας εἰπεῖν τὸν Κύριον; *quomodo non impius videatur Basilides, diabolum quidem inter Deos referens, ausus autem hominem peccandi potestate præditum Dominum dicere?* Quem locum clarissime evincere putat Vir doctissimus Basilidem, non verum tantum hominem putavisse Christum, sed vere etiam passum esse; sine qua thesi vana fuisset Clementis contra hæresiarcham disputatio: Vidit difficultatem MASSVETUS, [bbb] at nugatoria exceptione eam tollere conatus est, ratus pertinere hæc ad putatitium istum Christum, Simonem Cyrenæum, quod plane nihil ad rem facere recte Beausobrio observatum est. Non diffitemur nos, perlecto semel iterumque cum attentione Clementis loco, valde nos in partes suas pertraxisse virum ingenio & eruditione incomparabilem, & quæcunque semel elegerat, vi animi, qua pollebat, maxima, urgentem. Ast cum ejus tamen studium, quacunque liceret mercede, hæreticos veteres excusandi, paululum nos suspicaces fecisset, nec satis causæ nos videre putarem, cur

R 4

unani-

[bbb] *Disf. in Irenæum* p 61.

unanimia Irenæi, Theodoretii, Epiphaniæ testimoni-
 a velut falsa essent rejicienda, præcipue cum
 eorum relatio cum systemate Basilidiano cohæreat,
 paulo curatius rem omnem excussimus. Iterato
 autem examine tanta nobis viri optimi nobisque
 olim amicissimi auctoritas visa non est, ut vete-
 rum fidem sollicitaremus. Rationem suggestit
 ipse ille Clementis locus cum systemate Basilidis
 diligenter collatus. Clarissime enim ex verbis
 ejus a Clemente adductis patet, statuisse Philoso-
 phum Ægyptium; nullum hominem, qui revera
 homo est, esse labis expertem, etsi actu nun-
 quam peccaverit, ideoque nunquam posse mar-
 tyrii præmium poscere, cum habeat divina pro-
 videntia, quod in eo puniat. Id principiis suis
 convenienter dixerat, eo quod materiam omnem
 vi naturæ suæ & originis ex tenebris progressam,
 semina mali in se habere crederet. Hoc vero ex
 Basilidis mente, quod nec negat Beausobrius, ad-
 misso, necessario sequitur, mentem patris in cor-
 pus hominis, qua hominis, verum descendere
 non potuisse, & impossibile fuisse, ut verum ho-
 minem Christum extitisse assereret. Nunc enim
 jungi corpori materiali, in se malo, & quod
 opus & productio angelorum mundi creatorum,
 malorum principium, esset, non potuit. Quod
 si verum Christus corpus non habuit, nec vere
 passum esse oportet, aliumque cruci affixum fuisse
 censendum est, ejus forma conspicuum. Et hæc
 quidem convenienter dici orationi Basilidis a Cle-
 mente exhibitæ attenta lectio nobis fecit eviden-
 tissimum, postquam observaveramus, Basilidem
 καὶ ἀνθρώπων disputare, & objicientem: Chri-
 stum passum esse, plane nihil peccantem, dedu-
 ctione

ctione ad absurdum convincere voluisse, ineptam
 esse hanc instantiam. Urget enim Philosophus,
 omnem hominem, qua hominem, peccandi pote-
 statem habere, ex quo tacita illatione concludit,
 nec Dominum tum eximendum fuisse, si verus
 homo fuisset, eo quod peccati tamen semina &
 potestatem in se haberet. Non addit vero, quæ
 inde sequuntur, Christum non fuisse verum ho-
 minem, quales fuerint sintque martyres, eo quod
 ad præsentem disputationem non pertinebat. Cle-
 mens autem accurationis logicæ, quod ejus scri-
 pta omnia testantur, ignarus, & in disputando
 acer, argumentum ab invidia petit, & quod *καὶ*
ἀνθρωπῶν Basilides disputaverat, illi tanquam ve-
 ram sententiam tribuit, Christum velut peccati
 capacem passum esse, quod tamen utrumque vi
 systematis sui, Basilides non negare non poterat.
 Cujus generis paralogismos logicos quam pluri-
 mos facile detegent, qui Clementis Scripta attente
 legerint & examinaverint. Convenienter autem
 systemati suo negavisse Basilidem, Christum cruci-
 fixum esse, ex effectu quoque apparitionis, quem
 illi tribuebat, constare potest. Cum enim ange-
 los mundi principes, & inter eos imprimis, quem
 reliquis majori tyrannide gravem aliis credebat,
 Judæorum terræ præfectum, vel Deum gentis
 Judaicæ, vicisse, eorumque artes & insidias eva-
 disse, redeuntem invisibiliter ad patrem, contem-
 deret; qui potuit tantam illi Judæorum angelo
 dominoque gentis rebellis potestatem in mentem
 divinam tribuere, ut hoc, quod infederat cor-
 pus, crucis supplicio afficere potuerit? Quæ om-
 nia loculenter, nisi fallimur, disputata satis ratio-
 nis sufficientis afferunt, cur veterum narrationes

sequi, quam viri ingeniose & erudite quidem, a parum verisimiliter conjicientis & pronunciantis effatis subscribere maluerimus. Arbitrium rei autem non nobis poscimus, sed lectori relinquimus.

§. XIV.

Huic vero menti divinæ, apparenti in mundo visibili & angelorum malorum potestatem atque tyrannidem expugnanti, animis quoque demissis in corpora, & ab appendicibus illis malis misere vexatis medicinam afferenti salutem hominibus partam Basilides tribuit. Servatorem hunc vero, more suo ex patria disciplina petito, Caulacau nomine insignivisse, ex testimoniis supra adductis tenendum, &, quod duce Epiphanio scimus, repetendum est, vocem hanc Basilidem ex loco JESAJÆ XXVIII: 10. desumpsisse. Quorum verborum licet varia sit apud interpretes significatio, [ccc] cum alii canonem supra canonem, alii spem super spem, alii aliter vertant, de quo in præsentia dispicere non vacat; dubium tamen nobis minime est, recte Epiphanium ex mente sanctæ Basilidianæ vertisse spem supra spem. Ita enim verterant Græci interpretes, quorum cum maxima & divina fere inter Ægyptios esset auctoritas, & Christianorum quoque plerique eam sequerentur, satis rationis fuit Basilidi, cur has potissimum voces, hoc spei sensu eligeret, ex quibus

[ccc] Vid. quæ *ad h. l.* erudite disputat CAMPEGIUS VITRINGA; add. qui in genuinam significationem vocis $\eta\pi$ diligenter inquirit ED. PO-COK. *ad Port. Mosi* p. 48.

quibus Servatori nomen mysticum & disciplinæ
 arcanae conveniens effingeret. Cum enim illum
 Caulacau, spem supra spem, id est, spei sum-
 mam, & maximum unicuique salutis portum
 nuncuparet, id quod nominis ratio ex Ebraismo
 prodit, constat inde, animarum, quas in alia vita
 peccasse dixit Basilides, spem omnem eum ad
 hanc Dei mentem fidemque in eum retulisse,
 indicareque voluisse, redeundi ad patrem inque
 sinum oceani divini, ex quo effluxerunt animæ,
 spem maximam atque unicam in eo niti. Diserte
 id testatur THEODORETUS, Servatorem ab illis
 dici Caulacau, nec aliter legi possunt Irenæi ver-
 ba, ut sensum fundant, quam: eum, qui in
 mundum descendit & ascendit Salvatorem, esse
 Caulacau. Satis luculenter enim pergit: *Igitur qui
 hæc didicerit, & angelos omnes cognoverit, & causas
 eorum, invisibilem & incomprehensibilem eum angelis
 & potestatibus universis fieri, quemadmodum & Cau-
 lacau fuisse: & sicut filium omnibus incognitum fuisse
 sic & ipsos a nemine oportere cognosci.* Ex quibus ver-
 bis manifestum est, filium Dei, mentem patris
 elusa Judaici angeli protervia gentisque rabie invi-
 sibilem illis angelisque omnibus, cum ad patrem
 rediret, factum esse Caulacau. Commode itaque
 interpretandus est EPIPHANIUS, Caulacau, no-
 men esse contendens, ἀρχὸς τινός, principis cu-
 jusdam. Per ἀρχὸν enim hoc loco æones intel-
 ligi debent, de quibus nonnulla dixerat Epipha-
 nius, ex quarum numero cum Jesus prima &
 maxima fuerit, constat inde, nec Epiphanium re-
 liquis in assignanda barbaræ voci significatione
 contradicere.

§. XV.

Patet ex dictis, ad hanc spem omnia in systemate Basilidiano redire, eamque proram puppimque salutis fidelium, ex horum hominum mente, esse. Diceremus, esse Basilidianos, Elpisticos Plutarchi peculiari Disfertatione a nobis olim illustratos, si verisimile esset, Gnosticæ Philosophiæ aliquid Plutarcho innotuisse. Qua vero ratione spem hanc in effectum deduci, & expectationis maximæ finem attingi posse Basilides tradiderit, jam porro exponendum est. Et huc tota quidem Philosophia moralis Basilidis pertinet, cum theurgia sive magia Ægyptiacis sectis soleanni: eam autem omnem hoc loco exponere, nec institutum nec locus patitur: multa ex Clemente Alexandrino erudite collegit, digessit, illustravit Beausobrius qui adeundus est. Qui nisi nonnulla perperam esset interpretatus, non haberemus, quod ejus observationibus adjiceremus. Itaque ut omne Basilidis systema constet, & universa nominis Caulacau ratio & comprehensio intelligatur, paucis ediseremus, quo pacto illam spem per Salvatorem elpisticum liceat attingere.

§. XVI.

Incipiendam esse salutis ex spe atque fide spontente exsurgentis acquisitionem, a timore, genera spirituum distinguente, & electionem animæ propriam prodente, ex loco CLEMENTIS ALEXANDRINI [ddd] intelligitur, ubi, mentione facta canonis sacri: Timor Dominus initium sapien-

[ddd] *Stromat. l. II. p. 375.*

sapientiae, addit: hic Basilidis sectatores hoc dicunt
 exponentes, dicunt ipsum principem, cum exaudiisset
 dictionem Spiritus ministrantis (in baptismo Salvatoris)
 propter auditionem & spectaculum fuisse obstupefactum,
 cum ei prater spem annunciatum esset evangelium & ejus
 obstupefactionem appellatam esse timorem, ἀρχὴν γενό-
 μενον σοφίας φιλοκρινήϊκῆς τε καὶ διακρίτικῆς, καὶ τε-
 λεωτικῆς, καὶ ἀποκαταστατικῆς ἔ γάρ μόνον τὸν κόσμον,
 ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκλογὴν διακρίνας, ὁ ἐπὶ πάντι προ-
 πέμπει. Qui [timor] factus est principium sapientiae
 tum discernentis & dijudicantis, tum perficientis & re-
 stituentis. Non enim mundum solum, sed & electia-
 nem discernit, & ad ea omnia amandat. Memora-
 bilis locus, ab interpretibus vero non satis intelle-
 ctus, in quo illustrando non sine ingenii & iudicii
 laude Beaufobrius versatus. Quem prolixè cogi-
 tationes suas exponentem ipse Lector adeat roga-
 mus, nobis enim ea cuncta expendere, ob bre-
 vitem non licet, sed ad unum potissimum Cle-
 mentis locum attendimus, ex quo discere licet,
 angelos mundi conditores, & imprimis Judæo-
 rum Deum reliquis potentiorē, obstupuisse, cum
 in baptismo Salvatoris ex Spiritus ministrantis
 confessione audiisset, filium Dei apparuisse, ut
 semen divinitatis, hominis animæ ab omni æter-
 nitate inditum, excitaretur, & Spiritus divinus,
 per mentem divinam reduceretur ad suam origi-
 nem, ita perficiendus, ut liberatus a malorum
 angelorum imperio & suam cognoscat & discer-
 nat originem ab appendicibus illis ex creatorum
 opificio adnatis, & ita per spem, fidei auctorem,
 perficiatur ope Salvatoris, ut sublatus ad superas
 sedes, & invisibilis factus angelorum insidiis, re-
 dire ad summum divinitatis unde exiit, fontem,
 possit.

possit. Hæc angelos creatores cum audiissent, prius omnia ignorantes, obstupuisse, quod, quem totum suum opus, sui que imperii esse crediderant, electionem habere, id est, esse partem ex Deo avulsam, Deoque per Salvatorem restituendam jam intelligerent. Veram esse hanc Basilidis mentem ex sequenti Clementis disputatione patet, qua evincere conatur ejusmodi metum attonitum angelis creatoribus non convenire. Dabimus Græca verba, interpretes enim plane mentem Basilidis non assecutus est. Ita vero Clemens: Ἐι μὴ γὰρ προὔπηρχεν ἀγνοία, ἐκ ἧν ὁ διάκονος [πνεῦμα] καθήλθεν· ἐδ' ἂν ἐκπληξίς εἶλε τὸ ἀρχοντα, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν· ἐδ' ἂν ἀρχὴν σοφίας, ἐκ τῆς φόβου ἔλαβεν εἰς τὴν φιλοκρίνησιν τῆς τῆ ἐκλογῆς, τῶν τε κοσμικῶν· εἰ δὲ ὁ φόβος τῆς προόντος ἀνθρώπου ἐπιβέβηκε τῆς σφετέρως πλάσματος πεποίηκε τὸς ἀγγέλους, ὡς ἐνιδρομένους τῷ δημιουργήματι ἀοράτως τῆς σπέρματος τῆς ἀνωθεν ἔσσης, ἢ ὑπολήψει κενὴ παρεξήλωσαν ὅπερ ἀπίθανον, ἀγγέλους δημιουργίας ἧς ἐπίστευσαν οἶον τέκνους τινὸς ἀυθέντας γενέσθαι ἀγνοίαν πᾶσαν κατεγνωσμένους· ἢ προγνώσει ἐνεχόμενοι κενήνεται. Ex quo loco colligimus: 1. Spiritum divinum ministerio destinatum designandi descensionem mentis divinæ ad liberandam ab angelis creatoribus eorumque principe animam, in baptisate J. C. id declaravisse, ideo descendisse filium Dei, 2. obstupefactum angelum creatorem, cum hæc audiisset, sapientem inde evalisse, ut cognosceret originem animæ, erroremque suum, credendo, hominum animam, ob animale partem esse suum opus, adeoque suo imperio soli subesse, & didicisse inde distinguere inter opus invisibile, seminis supernæ essentia, id est hominis spiritualis, & inter opus

opus mundanum, hominem animale a spiritibus creatoribus productum. 3. Itaque electionem in eo versari, quod spiritualis homo cognoscatur originem ex semine divinæ essentiæ habere, & distinguatur ab homine animali, libereturque per spem in Salvatore positam, fidemque ei nixam, ut quod discernendo cœpit, credendo continueatur, & tandem ascendendo, quo Servator ascendit, perficiatur. Ex quo sequitur, agnitionem electionis, id est originis divinæ, naturalem esse, producique a timore malorum spirituum, gignere vero spem liberationis per mentis divinæ apparitionem, eamque fidem esse electione nixam. Teste enim iterum CLEMENTE: [ii] φυσικὴν ἠγῶν τὴν πίσιν καθ' ὃ καὶ ἐπὶ τῆς ἐκλογῆς ταπειμένην αὐτὴν, Basilidiani fidem naturalem esse dicunt, & quidem fundatam ordinatamque in electione. Quin & illo auctore, dicebant: Πίσιν ἅμα καὶ ἐκλογὴν οἰκεῖαν εἶναι καθ' ἕκαστον διάστημα, κατ' ἐπαλοκῆθρημα δ' αὐτῆς ἐκλογῆς τῆς ὑπερκοσμίας, τὴν κοσμικὴν ἀπάσης φύσεως συνέπεσθαι πίσιν. κατάλληλόν τε εἶναι τῇ ἐκάστῃ ἐλπίδι καὶ τῆς πίσεως τὴν δωρεάν. Fidem pariter atque electionem domesticam propriamque esse cuilibet intervallo, [supramundano & mundano] & secundum consequentiam electionis supramundane sequi universæ naturæ fidem; & pro modo spei cuiusque conveniens quoque esse donum fidei. Ex quibus locis intelligitur, electionem, cujus toties meminit Clementis, secundum Basilidem esse opus originis divinæ animæ, sive potius hominis spiritualis, ab animali prope distinguendi, in cujus agnitione, appre-

[ii] Str. l. II. p. 363.

apprehensioneque spei in Christo fundatæ, fides, & per eam salus nitatur. Non disputabimus hoc loco, utrum fidem ex electione ortam liberam vel necessariam fecerint Basilidiani, quorum posterius affirmat & oppugnat Clemens, prius facta distinctione inter hominem spirituales & animale probat Beaufobrius. Recte quidem, modo teneatur, ex necessitate naturæ suæ hominem spirituales salvari, quod Tatianum quoque & Valentinum, (addi possunt Gnostici, & Orientales Philosophi omnes cum duce Zoroastre) affirmasse recte Viro eruditissimo observatum est. Quî locis Clementis adductus electionem putat esse spiritum quendam divinum animæ collatum, particulam luminis ex cœlo demissam, essentiam fonti suo similem, naturæ cœlestis, & supramundanæ, qua mors destruitur, Deus cognoscitur, profunda intelliguntur &c. Quæ omnia recte se habent, modo ab essentia hominis spirituali & supramundana, ab invisibili semine supernæ essentia [quas voces Basilidianas Clemens habet] non distinguantur. Hæc enim scintilla divina ubi per fidem atque spem excitatur, invisibilem hominis partem angelorum malorum potestati subtrahit, & Servatori nixa ascendit, unde descenderat ad ipsum Deitatis fontem, delusis malis angelis, qui hanc electionem ignoraverant. Et hoc quidem pacto comprehendere luculenter potest, quo sensu Basilides, teste IRENÆO, credentibus promiserit; *qui hæc didicerit, & angelos omnes cognoverit, & causas eorum, invisibilem eum & incomprehensibilem (nempe secundum electionem) angelis & potestatibus universis fieri, quemadmodum & Caulacau fuisse, eosque cum sciant ipsi omnes & per omnes transeant,*
ipso

ipfos omnibus incognitos & invisibiles esse. Comparari hæc cum Valentini deliriis velimus, quæ lucem obscuris Basilidis sententiis foenerabuntur. Ex his vero intelligi quoque potest, cur martyrium Basilides rejecerit. Satis id obscure indicat IRENÆUS: *Quapropter & parati sunt ad negationem, qui sunt tales immo magis, ne pati quidem propter nomen possunt, cum sint omnibus similes.* Cui ænigmati locus Clementis supra adductus lucem conciliat, ubi Basilidem contendisse ait, pati quemlibet propter culpam, & alium quidem propter electionem, cum in alia vita peccaverit, per martyrium, alium propter maleficia supplicio. Hujus enim rationem ex animæ origine, id est, electione, derivandam esse supra jam monuimus: anima enim cum particula cœlestis essentiæ esset, ad inferiora & materialia, sive ad tenebras inclinans peccavit, unde ubi martyrium patitur, innatam labem luit. Quod cum martyrii notionem evertat, sequitur inde, ejus in systemate Basilidiano locum nullum esse; unde mirum non est, hos homines ad abnegationem, ad evitanda martyrii supplicia, fuisse paratos, quin & eo nomine passiones pro nomine Christi suscipere non potuisse, quod omnibus corruptione lapsus animæ sint similes, nec unus sanctitatem prorsus innocentem habeat.

§. XVII.

Plura sunt, quæ Basilidis ejusque sectatores præscribere homini spem summam salutis per Caucau obtinendam anhelanti, quæ huc omnia referre non vacat, cum constitutum nobis non sit, integram disciplinæ Basilidianæ historiam exponere. Non omittendum tamen, quod IRENÆUS,

consentientibus Theodoreto & Epiphanio tradit: *Contemnere idolothyta, & nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis, habere autem & reliquarum usum indifferentem, & universæ libidinis. Uti autem magia & incantationibus, & reliqua universa periergia.* In quibus omnibus excusare & famam Basilidis tueri conatur BEAUSOBRIUS. Et idolothytorum usum & esum eos probasse mirum non est, qui licere multa nec nocere posse animæ in electione consistenti affirmaverunt. Quod vero ad libidines attinet, quamvis certum sit, non peccatum tantum ipsum, v. gr. adulterium, sed & peccandi habitum & inclinationem Basilidem ad animæ labem ex descensu ad inferiora derivasse, ut allato Clementis loco est manifestum, quamvis etiam eodem auctore certum sit, pertinere libidinem inter appendices animæ in transitu perditiones malorum angelorum adnatas, adeoque opus materiæ & malorum spirituum esse, & per consequens, Basilidem omnem libidinem hominis spiritualis non esse, statuisse; certum tamen quoque est, eum istud appendicis genus tantum ad animale hominem, qui creatorum opus est retulisse; unde verisimile est, eum docuisse, ejusmodi libidines animæ electæ non nocere posse, sed purgandas esse in animali parte. Quod occasionem deinde dedit, Basilidem accusandi, quod omne libidinis genus permiserit. De quo tamen in tanta monumentorum Basilidis penuria plura dicere, vel conjicere quoque non licet. Tertium quod Basilidianis tribui solet, *περὶ γύια* magica est, imaginibus, incantationibus, invocationibus usa. Fluctuat hic Beausobrius, & exculpandorum Basilidianorum desiderio plenus, mox confudisse

fudisse Patres mathematicos & magos putat, mox in diversis magiæ generibus præsidium ponit, mox non omnem superstitionem magiam esse contendit, mox ex figuris symbolicis exsculpi magiam non posse exemplis eruditorum inter Christianos errorum probare satagit. Concedamus hæc Viro eruditissimo omnia, eo quod clare apparet, non ausum fuisse negare, Basilidem cum sectatoribus in quodam cum spiritibus commercio eorumque invocatione & evocatione imaginibus facta præsidium posuisse, ideoque causæ tantum patrocinium in diversa magiæ notione, acute magis, quam accurate, quæsisisse. Illud verisimillimum, Philosophum Ægyptiacum, Orientali Philosophiæ, more gentis suæ, innutritum, magiam philosophicam, qualem fovebat Philosophia Orientalis Chaldaica, Persica, Syriaca, Ægyptiaca, commendavisse, ad liberationem a potestate angelorum malorum. Quod facile succurrisset memoriæ Viri optimi, si recordatus fuisset, eandem non Chaldaicæ sive barbaricæ, quam ipse agnoscit, Philosophiæ tantum sententiam fuisse, sed Ægyptiacæ quoque, & PLOTINI quoque testimonio constare, praxin magicam inter Gnosticos fuisse receptissimam. Insectatur enim illos, (kk) quod *cantilenas quasdam componant, ad illa pro arbitrio commovenda, non corpora solum & animas, sed etiam his superiora flectenda: eosque fascinationes & delinimenta persuasionesque composuisse, ut & verba exaudiant, atque trabantur.* Si quis itaque nostrum artificiose admodum noverit talia quædam pronuntiare,

S 2

nuntiare,

(kk) *Em. II. 9. c. 12. p. 212.*

nuntiare, & certa quadam ratione cantus sonosque edere, atque aspiramenta vocis & sibila, & quaecunque alia apud eos *SCRIPTA SUNT*, *VIRTUTEM MAGICAM* continere. - - Gloriari præterea, se morbos expellere, morbosque dicere esse demones, eosque verbis expellere se posse profiteri, ideoque a vulgo, magorum vires nimium admirante præstantiores haberi &c. Quæ cum magiam Gnosticorum in aprico ponant, quæ causa quæso est, cur demamus fidem Irenæo, Theodoro, Epiphanio, uno Clementis silentio, infirmo satis argumento ducti, & magiam inter media Basilidis ad consequendam spem summam facientia non collocemus? Sed ut omni exceptioni effugium obstruatur, notari velimus, magiam hos homines non ad salvandum hominem spirituales, sed ad animale tantum, requisivisse. Itaque si priori sensu eorum magiam negaveris, recte facies, verum minus opportune.

§. XVIII.

Restat, ut quem exitum humano generi peperisse Caulacau apparitionem dixerit, ex mente Basilidis paucis edisseramus. Rediisse mentem ad patrem, victis malis angelis, viamque fecisse invisibili modo ad eundem Deum revertendi credentibus, ex dictis hoc loco repetendum est. Putat Beausobrius & ex silentio PP. Basilidem non reprehendendum concludit, eum resurrectionem Jesu hominis non negasse, eumque ex mortuis resuscitatum admisisse, corpore isto per aëra tandem dissipato. De quibus quid sentiendum sit, ex superioribus constare potest. Si enim pati non potuit, vel verum corpus non habuit, resurrectioni quoque locus non fuit; dubium quoque
haud

haud est, Clementem resurrectionem Christi pro refutando Basilidis errore de martyrio adducturum fuisse, si eam unquam credidisset. Et qui potuit resurrectionem corporis Christi statuere, cum omne corpus hominis demiurgi opus ad mortem inclinans esse crederet? Simile itaque fatum etiam fidelibus patet; negata enim, teste IRENÆO (ll) resurrectione, quam causam vitiorum immortalē reddere censebant, ut recte Beausobrio observatum, hominem spiritualemente suo elemento, animale, si ratione uti didicerit, cœlestibus sedibus assignabant, Valentino & Gnosticis aliis similes. In quo spem maximam expletum iri credentes, cum id Servatoris auxilio adscriberent, quo duce angelorum potestates evasissent, recte inde CAULACAU eum dici crediderunt. Et hæc quidem, quantum Philosophiæ Basilidianæ obscuritas passa est, de ænigmate hoc dicta lector æquus boni consulat; clariora si quis dederit, lampada ei lubentes trademus. (mm)

T A N T U M.

(ll) L. c. c. 23.

(mm) Ex his vero late disputatis constat, nomen Caulacau non ad mundum referendum esse in loco Irenæi allegato, sed pro *mundus*, legendum esse *mundi*, quamvis & hoc pacto non omnes corrupti loci tenebræ dispareant.

ELECTA EPISTOLICA

ex Thesauro Epistolico HOTTINGERIANO excerpta.

I.

JAC. GOLIUS ad JO. JAC. WOLPHIUM.

Q
Uæ in alumnum vestrum *Henricum Hottingerum* a me collata prædicasti, non tantum laude tua, sed etiam illius meritis inferiora duco. Eum primum ante sesquiannum hac transeuntem vidi, cœleste aliquid in illo elucere mihi videbatur, quod non poterat non in animo meo amorem excitare. Neque vero opinio fefellit, nam postquam deinde contubernii familiaritate propius accessit, optimam in eo indolem, erectum ingenium, summam diligentiam, & gratissimos cum pietate conjunctos mores perspexi, & perspicio quotidie cum voluptatis & amoris incremento. Ita ut non possim non Ecclesiæ & Scholæ vestræ de hoc alumno suo gratulari; & mihi quoque ipsi, cui contigerit, in meo etiam agello tam eximium seculi germen utcunque rigasse, & quoad potui, fovisse. Neque dubito, quin longioris vitæ favente Deo, caput aliquando efferat in patriæ decus, & uberrimos fructus optatissimosque ferat magno orbis christiani bono. Hoc prælagium meum ut reapse & felici successu rerum comprobetur, toto animo exopto, & boni omnis largitorem Deum veneror. Qui quidem meus

erga

erga *Hottingerum* vestrum affectus gratiam mihi aliquam & fidem, uti spero, conciliabit apud rever. Ecclesiæ & Scholæ Tigurinæ Antistites, ut æquibonique consulant, quicquid in eum finem alumno suo a me factum consultumve fuit. - - Cæterum cum eidem *Hottingero* optime cupiam, & magnis rebus nato, si quam possem aperire ad eas viam cum aliis ejus fautoribus exoptem, non possum te celare, quod Belgium nostrum, ubi nunc degit, commode offert, suggeritque mihi. De novo Constantinopolin mittendo Legato propediem summi Proceres Reip. nostræ comitia habebunt: Legato autem adjungetur divini verbi minister, qui christianæ fidei sacris in illius familia & natione nostra præsit. Huic quidem muneri D. *Hottingerus* ob præclaras animi, doctrinæ & virtutum dotes egregie comparatus videtur, ipsumque illud munus æque comparatum illi. Nam, dum in ea statione versaretur, ὀρθοδοξίας sementem inter Græcos ibidem factam alere & pro virili sua curare posset; multa Græcorum Patrum scripta ad vetustiores Codices conferre, quæque nunquam nobis visa, scrutari ac perlustrare; & in Ecclesiæ Orientalis historia præstare aliquid desiderio & laude dignum. Nam cum illa a plurimis Viris a primo fundamento, uti necesse erat, repetita atque conscripta fuerit, paucissimis contigit, eandem produxisse ad præsentem ævi nostri statum. Optandum autem videtur, ut hinc, ab hodierna, inquam, secundum sectas & ordines suos constitutione exorsus aliquis, Analytica via, quæ inveniendæ veritati mirifice accommodata, & retrogrado passu procedat ad seculum prius. Nam si vel prima ejus pars contexeretur,

& nova & cognitu utilis, atque adeo necessaria foret, ut constaret, quid consilii & remedii ab ecclesiis orthodoxis illæ in præsens requirant, quibus in tenebras & errores lapsis primum acceptæ ab iisdem lucis redhostimentum debemus. Si vero cœptum ejusmodi opus profequi liceret, verisimile est, multa retrolectis vestigiis deprehensum iri, quæ vel latuere hæctenus, aut intricatiora habita fuerunt, quibus commodis & hoc annumerandum puto, quod orientalis literaturæ, in qua *Hottingerus* vester insignes progressus fecit, Encyclopædiam persequi ibidem, & absolvere, si quisquam alius, felicissime posset. Non librariæ, ejusque rarissimæ suppellectilis, non præceptorum, non rerum copia, neque ad iis bene utendum in ipso quicquam, ut confido, deesset. Atque ita æterni nominis magnique usus incomparabilem eruditionem, favente Deo, paucis annis sibi patriæque compararet suæ, & locupletem absentia suæ usuram domum referret: ubi interea temporis complures alii, ut arbitror, idonei reperirentur obeundis ministeriis quibuscunque, quæ illi demandari & imponi possent, cum ipse forte unicus existat, qui conficiendis rebus, quas memoravi, factus esse & par videatur. Lugd. Bat. 25. Sept. 1640.

II.

Idem ad *Hottingerum*.

COrani Lemmata, Orationem tuam, Versionis Arabicæ specimen recte accepi. Perplacere omnia, uti non possunt, non placere, quæcunque sunt tua, quippe in quibus elucent gratissimæ

simæ virtutes tuæ. Auspicia publicæ operæ ;
 quam Ecclesiæ & præstantissimæ Scholæ paras,
 laudo & gratulor: simul & exopto, ut Orientis
 literas, in quibus felicissime profecisti, excolere
 pergas ad patriæ tuæ decus & reipubl. christianæ
 usum. In tua eruditione, diligentia, iudicio
 magnam spem colloco optatissimi successus. Sin-
 gulari enim gratia benedixisse semper studiis iis vi-
 detur Deus, quibus vestrates curam impenderunt.
 Facile autem fuerit, subsidia ad eam rem necessa-
 ria comparari. Non enim longe a vobis Constan-
 tinopolis abest, librorum, uti & aliarum rerum
 longe ditissima. Amicus ibi D. *Henr. Capsius*,
 defuncti legati nostri nepos, qui haud gravate in
 se recipiet, quamcunque favoris operam expeta-
 tis. Interpretem habet Judæum, rei librariæ sa-
 tis gnarum, quod proprio ego experimento cog-
 novi, qui pecunias, quas expendi velitis, opti-
 me collocabit in Auctores insignes. Catalogum
 habes satis numerosum, unde excerpere tibi no-
 mina meliorum licet: quod quidem institutum
 D. *Legerus* sua communicatione & consilio etiam
 juvare permultum potest. In propinquo sitæ Ve-
 netiæ, quo & unde codices coempti commodis-
 sime ad vos mittentur. Atque ita magna tibi pa-
 tebit augendæ doctrinæ seges, propagandæ facul-
 tas. Interea rogo & exhortor, ut *Catecheseos* Ara-
 bicam versionem suis numeris absolvas, reliqua
 auspicius procedent a sacris illis exorso. *Dictio-
 narium Romæ* prodiit nuper *Arabico-Italicum*, Ver-
 sioni cuius juvandæ comparatum; locuples satis
 & accuratum. Lugd. Bat. 10. Sept. 1642.

III.

EDW. POCOCCIUS ad eundem.

INdefessum illud studium, quo litteras Arabicas prosequeris, uti summopere laudo & fovere cupio, ita ne earum gratia in itineris alicujus Turcici pericula, uti se nunc res habent, te conjicias, suadeo. Cavisse videtur Vir doctiss. *Christ. Ravius*, ne cui Philarabum, hujusmodi mercaturæ exercendæ gratia, Constantinopolim tuto adhuc adire liceat; avidus ille librorum Arabicorum suppellectilem conquirendi, non solum maxima sibi accersivit pericula; sed & in causa fuit, ut severo Magni Vizieri mandato Bibliopolis, ne Christianis (Francis saltem,) Mohammedanorum libros communicarent, interdiceretur. Ipse (לאֱלֹהִים אֱלֹהִים) incolumis evasit, una cum libris suis, quos huc secum in Angliam advectos nuper in Hollandiam transtulit. Venetiis, vix credo, reperiri hoc in genere aliquid, quod molestiis redimi mereatur. Domi (ni fallor,) & manere tutius, & majora præstare poteris. Illinc accuratam *Chronici Samaritani* editionem, una cum doctissima Appendice, expectamus. Illinc *Confessionis Helveticæ* Versionem, quam non minus piis, quam felicibus, auspiciis cœptam pari felicitate detur absolvere. In qua, si ad *Novi Testamenti* & *Psalmoreum* potius, quam *Pentateuchi* utpote ab homine Judæo, & quoad verba non nimis eleganter, versi imitationem stilum temperes, Christianorum palatio magis arridebit: ubi typis mandatum fuerit opus, nonnisi caute in partes orientales transmittendum; ne illis, quorum ope distribuuntur exemplaria, periculum creet. Nar-
ratum

ratum tibi scribis ab Ampl. V. D. *Hug. Grotio*,
 me ipsius *de Veritate Religionis Christianæ* libros in
 Linguam Arabicam traduxisse: opus illud (uti-
 nam ea, qua meretur, accuratione elaboratum)
 apud me, una cum *Catechismo* breviori, & *articu-*
lis, in quibus *Ecclesiæ Anglicanæ Confessio* contine-
 tur, repositum: nescio, an aliquando in lucem
 edendi occasio dabitur. Adeo turbata est studio-
 rum nostrorum ratio. Deus solus novit. Spes
 tamen de felici rerum successu conceptas, illius
 benignitate freti, nondum deponemus. Cedet
 ΟΥΥ ΤΩ ΘΕΩ. אֱלֹהִים אֵין אֵין. Oxonii Mart. 23. 1642.

N. Hæc *Grotii* Versio anno 1640. a *Pocockio*
 elaborata sumptibus nobiliss. *Rob. Boyle* anno
 1660. *Londini* prodiit.

IV.

LUD. CAPELLUS ad eundem.

DE *Chronico Samaritano* quod scribis, absit, ut
 te dehorter atque avocem ab ejus translatio-
 ne atque editione: etsi enim (uti scribis) tanti
 non sit, uti a quibusdam fit, nihilominus quia
 vix ullus est tam malus liber, ex quo aliquid boni
 elici non possit, quique usui alicui non sit, non
 erit, arbitror ejus editio plane inutilis. Solemne
 est multis, ea magni facere, quæ rara sunt &
 peregrina, etsi in se levia sint, & facile contem-
 nenda; Sic magni faciebat olim magnus *Scaliger*
Itinerarium Benjamin, cujus tamen Scriptor, meo
 quidem judicio, vanissimus & ineptissimus est,
 minimique ac pene nullius judicii homo, sed
 quid facias, vix alii erant seculi illius, quo vixit,
 Scriptores. Talis etiam non injuria mihi videtur

Grot.

Geographus ille Arabs, latine a *Sionita* redditus, ex quo vix aliud exsculpas præterquam meras distantiae locorum notationes, quarum fides penes auctorem est, quis enim eum facile falsi arguat inter Europæos, quibus pleraque ab eo commemorata loca pene sunt invisa & intentata omnia. Ad novam, quam adornare animum tibi esse ais, *Al-corani* versionem, quod attinet, non video, cui bono & usui ea esse possit; non Muhammedanis, qui latina versione libri illius non indigent; non Christianis Europæis, quibus de religione cum iis disputare non licet, & ut liceret, satis ex veteri, quam habemus versione (etsi non ita accurata) refelli atque revinci tum superstitionis Muhamedicæ, tum libri illius vanitas, falsitas, absurditas atque impietas potest. Et satis jam est, hoc sæculo, inter Christianos Europæos, profanorum hominum, & novitatis in religionis negotio studiosorum & cupidorum nimis, ut nihil necesse sit, nova & accurata tam impii scripti versione eos ad illius lectionem provocare, & rerum novarum in religione cupiditatem incitare, quibus lectio libri illius noxia magis quam utilis esse potest, aranearum enim instar virus atque venenum ex ejus lectione collecturi sunt potius, quam quod est in eo boni & laudabilis. Qui vero pii sunt, quid inde reportaturi sunt commodi? nihil enim in eo libro est boni, quod alibi melius, purius & plenius non occurrat, at impii & profani pejores ex ejus lectione evadent, nam specie rerum, quæ in eo laudabiles esse possunt, deliniti pellicientur ad sibi persuadendum, Impositorem illum non Pseudopphetam, sed verum esse Prophetam, quasi rerum illarum laudabilium
 primus

primus esset auctor, unde in profano suo religionis contemptu magis confirmabuntur, si non etiam pellicientur, ad fidem impostori illi magis, quam Evangelio habendam, utpote cujus doctrina sensui carnis magis adlubescit & accommodata est. At dices, adjicietur valida libri illius refutatio. Sed I. quid opus est, inter Christianos disputationem de tam insulso commento movere, hoc enim ipsum apud ἄσχητους & profanos salivam movet, quasi non adeo sit ἀτοπον scriptum, cui refutando operam suam collocant homines industrii & docti, videbiturque refutatio illa ex contradicendi libidine & præconcepto religionis illius odio potius orta, quam firma ratione subnixa, & ut sunt homines ingeniosi ad se fallendum in eo, quod illis adlubescit, excusabunt, aut pro virili tuebuntur ea, quæ in illo scripto reprehendentur, ita sunt multorum hominum in religionis negotio tepidorum (uti hodie sunt plerique Christiani) male feriatae mentes. Deinde ad solidam Scripti illius refutationem, & ad ingenerandam apud pios omnes illius detestationem, abunde sufficit vetus ejus versio. Auctor itaque tibi, Doctiss. Hottingere! potius sum, ut solam & solidam ejus adgrediaris confutationem, quam ego sic existimo posse a te institui. Nimirum ut ab una parte in compendium contrahas, & quasi in brevi tabella proponas, quicquid habet ille Impostor laudabile ac probandum, idque breviter per locos veluti communes a te digeratur, de Deo, ejus unitate, natura, essentia, proprietatibus, mundi creatione, Providentia, de peccato, hominis lapsu, Angelis bonis & malis, de mundi fine, extremo judicio, bonorum & malorum præmio,

præmio, resurrectione carnis, vita futura, Paradiso & Gehenna, de Pœnitentia, conversione hominis, bonis operibus, de vita recte, pie, sancte, iuste & caste instituenda, quoque præcepta moralia pleraque spectant, aliaque ejusmodi, annotatis etiam, unde ista omnia excerpta sunt, *Alcorani* Suratis. Tum ostendendum est (quod facillime fieri potest, adeoque omnibus pene Christianis obvium est, certumque & manifestum) ea omnia haberi & doceri longe puriora, luculentiora, pleniora atque explicatiora, partim in antiquorum Philosophorum scriptis, partim, imo plenissime, in libris V. & N. T., sic enim fiet manifestum, Impostorem nihil de suo habere boni, sed omnia, quæcunque in eo laudanda sunt, aliunde esse corrogata & emendicata, proindeque eum falso jactare divinam revelationem ad ea prodenda, quæ pridem ante ipsum ab Auctoribus religionis christianæ jam fuerunt melius & plenius incomparabiliter prodita, & hominibus per multa sæcula, inter Judæos & Christianos inculcata a Mose, Prophetis, Christo ejusque Apostolis. Ab altera parte eodem ordine atque methodo colligenda a te essent, quæ ille habet in religionis dogmatibus, scitis, ritibus, moribus, Ethicis, politicis & physicis etiam interdum rebus absurda, falsa, ἀταρα, turpia, scelerata, inficeta, horrenda, abominanda & blasphema, quæque non ex principiis religionis christianæ, (hoc enim esset το ἐν ἀρχῇ λαβεῖν) sed ex ipsa recta ratione ejusque luce, omnibus sanis hominibus communi, refelli atque revinci possunt. Itaque non hic sunt movendæ & tractandæ quæstiones de Trinitate, Incarnatione, Satisfactione, Electione, Re-
 proba.

probatione, Justificatione, Sacramentis, aliisque ejusmodi, de quibus inter Christianos & Muhammedanos non convenit, quæque plene & certe vix definiri possunt, nisi ex principiis religionis christianæ, sacris nimirum V. & N. T. libris, quorum Auctoritatem non agnoscunt Muhammedani. Explicanda autem essent illa ipsis *Al-Corani* verbis, adnotatis Suratis, in quibus illa habentur, videndumque hic, ac diligenter cavendum, ne quid temere & falso attribuaturs illi homini; (quod interdum a nonnullis perperam fit ex odio nimio & iniquo adversus illorum hominum superstitionem, & præpostero ac nimio etiam religionis nostræ amore;) sed sint omnia, quæ illi imputabuntur, aperte, plane & manifesto contenta. Sic nempe ipsum sese *Alcoranum* refutabit, exhibendumque præbebit, sine operosiore adversus omnia ejus absurda & mendacia disputatione. Quis enim his ita demonstratis postea fidem habeat Scriptori, qui, quicquid habet & jactat quasi suum, & a Deo de novo acceptum, boni, atque laudabilis, illud omne aliunde, & ex vulgatis per multa Sæcula ante ipsum Scriptis corrogavit, & congeffit sine ordine ac methodo, sine judicio, ac fœdissima cum confusione, atque intolerabili βαρλολογία, absonaque repetitione, quique illud ipsum vanissimis insertis commentis & fabulosissimis narratiunculis (quarum seriem & catalogum operæ pretium esset texere) varie ac mirum in modum fœdavit atque conspurcavit; quicquid autem de suo habet, sibi quoque proprium, illud rectæ rationi, ac luci omnibus hominibus naturali atque communi adversari cognoscitur, fœdum, turpe, abominandum, sceleratum.

lestum, aut insulsum atque ridiculum omni homini, non prorsus, videtur. Sic ex ipsa libri materie, tam foeda, spurca, falsa, insulsa, & inficeta, liqueret, ejus auctorem non posse esse verum Dei Prophetam, sed merum Satanæ organum hominibus illudentis, & in devios errores abripiantis, quæ est certissima & efficacissima confutandi illius Scripti via atque ratio, quam non videntur satis attendisse, qui hactenus adversus Impostorem illum aliquid vel dicere, vel scribere voluerunt. Huc ingenii tui, doctissime *Hottingere!* viam intende, & in eo desudet industria tua potius, quam in eliminando & illustrando tam infau-
sto hominis illius fanatici commento, edendove denuo tam infelici Diaboli insanientis & furentis foetu, quem optandum esset nequidem de nomine notum esse inter Christianos. Salmurii. 10. Dec. 1641.

V.

Idem ad eundem.

NOVA *Alcorani* versio res est, (uti scripsi,) quæ mihi parum utilis videtur, & laboris atque difficultatis plena, quæque se lectoribus suis non facile probabit, aut commendabit, nisi triplex sit, una cum textu ipso Arabico, quomodo id olim tentatum & factum a doctissimo *Erpenio* in *Josephi Surata*, ut versionum illarum inter se, & cum ipso textu collatione, novæ Translationis bonitas supra veterem deprehendi possit. Quin & in Translate nominis celebritas & fama non obscura requiri videtur, ut ejus versio aliquo in loco & pretio esse possit. Itaque curam & negotium illud doctiss. D. *Golio* post *Erpenium* suum deman-

demandatum cupiam. - . *Helveticam* vestram *Confessionem* a te in linguam Arabicam, exercendi tui gratia, ac tentandi causa, quid in eo genere humeri tui valeant, quid ferre recusent, transferri non improbo: alias non video, cui bono id laboris suscipias. An enim spes est, fore, ut ea a Muhammedanis (aut Christianis Arabisantibus) legatur? non puto quemquam esse, cui id veniat in mentem, si reputet apud se, quale sit hominum illorum ingenium, quibusque moribus vivant, ac quomodo sint in iis, quæ spectant ad religionem, affecti. Cogita, quis fuerit olim *Confessionis Augustanæ*, ac totius *Lutheranorum Liturgiæ* in gratiam Ecclesiæ Græcæ in linguam græcam a *Crusio & Chytræo* conversorum fructus. Atqui spes multo major esse poterat, Græcos illius lectione motum & conversum iri, quam Muhamedanos hujus lectione, quam ne quidem oculis usurpare sustinebunt, cum severissime sub capitis pœna sit illis interdictum, ne quid in religione novi tentent; ad Christianos autem quod attinet arabisantes, scis, non licere ipsis uti libris typis nostris exaratis, quo pacto itaque *Confessio* vestra, arabica facta, poterit illis esse usui? Itaque latebit illa inter Schedas Musæoli tui, vel saltem Bibliothecæ vestræ publicæ. Salmurii. 15. Mart. 1643.

N. De hac *Hottingeri* versione Arabica *Confessionis Helveticæ* vide ipsum in *Bibliotheca Orientali* p. 93.

VI.

Constantinus L'Empereur ad *Jac. Breitingerum*
Antistitem Turicensem.

Quam, fratre meo duce, tecum familiaritatem
in Synodo Dordracena inire cœpi, jam ante
Tom. VI. T annos

annos XXI. unis atque alteris alere volui. Quandoquidem ergo scriptio diu intermissa fuit, data occasione commodissima, officium meum amplius differre nolui. Siquidem causam scribendi mihi præbuit pietas, probitas, humanitas, ac indefessum studium, & eruditio juvenis Tigurini *Johannis Henrici Hottingeri*. Qui in linguis orientalibus mirandos fecit progressus, imprimis in lingua Arabica. Ubi nactus est libros ad religionem pertinentes, tanto eos perlegit studio, eaque magna diligentia excerpfit, ut nullus dubitem, quin is solus christianitati ea suppeditare possit, quibus suam religionem defendere contra Muhammedanos, eosque vicissim debellare queat. Quocirca, quibus christiana religio, Christi que gloria cordi est, omnino operam dandam censeo, ut prædictus *Hottingerus* vel in Orientem mittatur, quo assidua cum Arabibus conversatione penitus in eorum dogmata, libros & idioma penetret, vel saltem ut ad professionem linguæ Arabicæ alteriusve orientalis promoveatur, quo incepta studia magis magisque excolere per otium possit; librosque vertere & resellere in eximiam Christianorum utilitatem & profectum. Dolendum sane esset, si tanti juvenis conatus & consilium impediretur scholastica quadam & ecclesiastica functione, quæ omne tempus sibi vindicaret. Complures eo studia sua feliciter direxerunt, & passim obvii sunt: at neminem novi magis idoneum, ad scripta & arcana orientalia nobis referanda. Omnia alia factis hæctenus pertractata fuere: at hoc unum restat, ut sacræ Literæ penitus nobis aperiantur ex Orientalium ritibus ac moribus; quandoquidem ab Orientalibus conscriptæ fuere. Deinde religio
 Muham-

Muhammedanorum hactenus nobis nonnisi insulse
 exposita fuit, & eorum *κρησφύελα* nos latent.
 Qui ergo eos impugnare, nostraque dogmata
 contra illos defendere queamus? nemo refellit,
 quod ignorat. Imo nostra hac in parte infirmitas
 mire istos in errore confirmat. Quocirca, Vir
 piissime! tuam operam per viscera Jesu Christi
 imploro, ut tua cura & prudentia eo negotium
 dirigas, quo hujus viri orientalia studia promo-
 veantur; eaque conditione & statu vivere queat,
 unde utilis illius opera, quam præstare posset,
 nullum experiatur impedimentum, nullamve sen-
 tiant remoram. Deus Pater Christi omnia vobis
 secundet propter Filium suum, cujus hic gloriam
 quaero. Lugd. Bat. 3. Kal. Mart. 1641.

VII.

Idem ad *Hottingerum*.

Binas a te accepi literas Londini exaratas: qui-
 bus me gaudio perfudisti, quod non tantum
 felicem successum itineris Anglicani; sed etiam
 eventum exoptatum literarum ad Archiepiscopum
 datarum enarrant: simulque singularem tuum
 favorem in me immerentem testantur. Secundis
 literis testaris, quanta cum voluptate nostrum
 consortium amplexus fueris: quod mihi spem fa-
 cit, *aliquando hanc Academiam tua opera, si offerat
 se occasio, frui posse.* Cogitationes hujusmodi inji-
 ciunt mihi verba tua. De *Chronico Samaritano*
 perstat votum meum: ut, si absque incommodo
 tuo fieri queat, versionem tuam mihi describi cu-
 res, amanuensis pretium solvam. Notas Profes-
 soris *Kibbes* in Pentateuchum me per D. Legatum

Boswellum accipere posse existimo. Virum olim in Anglia novi, & peritiam ejus in scriptis Talmudicis; adeo ut eximium esse illud scriptum nullus dubitem. Binis istis literis non respondi: cum iter tuum in patriam me incertum redderet, quo epistolam dirigerem. At postea uno eodemque momento binas denuo e patria datas accepi per *D. Golium*. Ex prioribus volupe mihi fuit intelligere felicem in patriam reditum: uti etiam constantem *Golii* & *Breitingeri* in me animum, ut hinc meæ literæ speratum fructum reportaverint. - - Postremis literis me rogas, quid tibi in Ecclesiæ emolumentum censeam agendum. Nosti animum & institutum meum: quo semper eo collimo, aliisque collimandum autumo, ut in tractandis libris (quod literatorum est officium) imprimis Dei eloquia illustrentur & stabiliantur in mentibus humanis, quæ in se alioqui sunt firmissima. Tu vero, amice integerrime! talentum a Deo accepisti, quo hoc lucrum facere potes. Id quæso agas, ut christianam veritatem confirmes, verbumque Dei illustres, passim suis omnia locis annotando, quæ in Orientalium reperis monumentis. Lugd. 8. Sept. 1641.

VIII.

Idem ad eundem.

Binas literas postremas cum *Epitome Chronici Samaritani* jamdiu accepi, iisque post moram diuturniorem respondere æquum est, & postulat humanitas & benevolentia in me tua; atque zelus, sacra studia excolendi. Sane, qui publico prodesse possunt peritia linguarum Orientalium,
pau-

paucissimi paria tecum præstare queunt: Siquidem Deus O. M. eas in te dotes contulit, quas in aliis raro experimur. Cujusmodi præter exactam linguarum cognitionem sunt ingenii sagacitas, memoria tenacissima in isto studiorum genere apprime necessaria, diligentia indefessa, & studium commodandi Ecclesiæ: Quo exoptem studia tua dirigi, quoque te collimare velim, præcedentibus literis (quibus ad singula primarum tuarum literarum capita respondi,) expressi. Nunc ad *Chronicum* redeo: cujus editionem omnino commendo, ut cum versione textus Orientalis jungatur. Licet enim falsa contineat, tamen eo quoque nomine edi cupio: quo similia scripta, ubi subinde ad istas Hypotheses respicitur; (uti non uno loco in *Talmude* observo,) eo melius percipiantur. Multorum desiderio denique satisfacies. Neque hac opera quicquam decedere velim collationi *Pentateuchi*: quam utilissimam fore, quis dubitare potest? Nullus enim dubito, quin ex multigenæ eruditionis tuæ notis plurima antiquissimæ Theologiæ illic descripta capita sint illustranda, multaque ad historiam primam pertinentia. Video te in transferenda *Confessione Helvetica* occupatum; addere etiam notas ex Orientalium scriptis; quo opere nihil ecclesiæ Christi in Oriente amplius propagandæ utilius excogitari potest. Sola istius collatio cum nugis *Alcorani* Muhammedanos in errorum agnitionem deducere potest. Lugd. Bat. 5. Idus Dec. 1642.

Σ. Θ.

Vita & Fata

JO. HENRICI HOTTINGERI,

Jo. Henrici, ex Jo. Henrico Nepotis,

*SS. Th. Doct. & Prof. apud Heidelbergenses ex parte
Reformatorum Primarii*

*nec non Pastoris Cætus Reformati, qui Heidelbergæ
colligitur, in Templo ad Divum Petrum,*

non ita pridem ad Gaudia æterna suscepti, suisque
summo cum mœrore erepti,

ab initio & breviter per ipsum pie defunctum con-
scripta, nunc autem

per

Ejus unicum Filium superstitem

AB. AD. HOTTINGERUM,

Ecclesiæ Crucenacensis Pastorem, Classisque Inspectorem,

quoad ultimas Patris optimi horas & Scripta adhuc
inedita, aliquatenus aucta & plenius composita:

unice ad Gloriam Nominis divini, & Laudem Bo-
nitatis, quam Pater cœlestis Defuncto æque,

ac per Defunctum, una cum Familia,

Auditoribus, Rei literariæ & pu-

blicæ quoque largiter

exhibuit.

Sym-

Symbola pie Defuncti.

Διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, διὰ δυσφημίας καὶ εὐφημίας. 2. Cor. VI: 8.

Celebrabo Te, (in aeternum,) eo quod tremendis modis mirabilis factus (atque etiam a Te gubernatus) sum. Admiranda sunt opera Tua, ac anima mea valde novit. Ps. CXXXIX: 13.

Lector Benevole!

MOnitu & jussu Amicorum, quos ceu Patronos & Promotores studiorum meorum, jam ante plures annos in Patria Helvetia probe cognitos, ad extremum usque vitæ halitum colere mihi fas est, hanc operam suscipio, quam equidem ob affectuum commotionem lubentius aliis demandatam voluissem, interim tamen ex pietate filiali eo minus detrectare volui ac potui, quoniam pro mea sententia nihil æquius ac justius est, quam ut Acta & Gesta Virorum de Ecclesia bene meritorum literis mandentur, eum in finem, ut Posteris adhuc, mirandas Dei vias in conservatione & propagatione Ecclesiæ suæ contemplandi atque celebrandi ansa præbeatur.

Non enim, vel non adeo, prouti *Franciscus Lambertus*, Hassiæ Reformator, recte sentiebat, laudandi sunt homines ipsi, quorum ministerio Deus usus est, quam potius dona superna, quæ in illis præcelluerunt, extollenda & ad fontem primum referenda sunt.

Scopus saltem hujus Biographiæ, quæ modo Lectori Benevolo ex voto & desiderio supra memoratorum Fautorum atque Amicorum in manus porrigitur, aliorum non tendit, quam quorsum Defunctus ipse, in totius vitæ suæ curriculo viribus omnibus annis erat, scilicet, ut esset instrumentum, altitudinem sapientiæ & profunditatem misericordiæ divinæ, ad aliorum excitationem & imitationem, celebrandi.

Atque si, secundum effatum sapientissimi inter Reges, Solomonis, memoria omnium justorum in benedictionem posita est, quanto magis in eadem ponenda erit memoria illorum, qui tot alios & doctrina & vita ad justitiam duxerunt?

Id quod modestiæ causa ratione præsentis materiæ & subjecti omnium æquorum judicio relinquo, spe certa confisus sequentem recensitionem, sinceram & candidam, quoscunque a studio partium remotos, sponte sua convicturam esse.

Otium autem heic mihi fecit ipse Parens meus optimus, ὁ ὄν μακαρίτης, ceu qui, cum adhuc in vivis superstes esset, provocatus a Cl. NEUBAUERO, *Theologo Giessensi*, quoad partem vitæ suæ præcipuam, relationem seu memoriam propria exaravit manu, & ad modo dictum Virum Celeberrimum transmisit, cujus cura etiam, *Lexico ejusdem Theologorum Protestantium*, Anno 1743. per modum continuationis in lingua vernacula edito, pag. 619. rel. inserta est.

Quantum

Quantum ergo penes me est, mihi hoc unicum restat, ut ea addam, quæ hæcenus forsitan omissa videntur, & quæ præprimis Patris optimi extremum diem cum beata ejus ἀναλύσει attingunt.

* * *

Ut igitur rem ipsam aggrediar, & quidem a natali solo Parentis optimi initium faciam, erat illud Tigurum, Urbs haud incelebris, quæ non solum primas tenet inter omnes Helvetiæ urbes; sed & provida & gratiosa Numinis providentia factum est, ut jam ante duo secula, & quod excurrit, puriora Reformatorum Sacra, opera magnanimi & fidelis Dei Servi, HULDRICI ZWINGLI, in ea originem sumserint.

Natus est ibidem Nonis Novembribus, Anno seculi superioris, post octogesimum primo.

Patrem habuit ejusdem cognominis, JOHANNEM HENRICUM HOTTINGERUM, *Professorem Linguarum Orientalium in utroque Collegio Turicensi*. Matrem autem, Matronam ornatissimam, ELISABETHAM, natam GROBIAM, e Ditione Toggenburgica oriundam. Avus illi fuit, Johannes itidem HENRICUS HOTTINGERUS, quem non tantum ingenii doctrinæque monumenta, cædro quippe digna, sed & dignitatum ornamenta illustrarunt, prætereaque fata plane singularia cognitum atque memorandum reddiderunt. Quam vero habuit Aviam, eam nobilitavit florentissima *Huldricorum*, cui suam debuit originem, familia.

Præclaro itaque ac christiano sanguine natum non destituit deinceps piorum Parentum cura, sed, prouti illum ante omnia per fontem baptismalem Creatori ac Redemptori suo reddiderunt, ita quoque ei rite formando diligentem impenderunt operam. Quam primum tenera ejus ætas patiebatur, Scholis, ut vocant, trivialibus adnotus fuit, & fundamenta jecit prorsus egregia linguæ non tantum latinæ, sed & græcæ & hebraicæ, quam postremam Parens ipse, pro peculiari suo in hanc linguam sanctam studio, filio adhuc juveni tali cum successu privatim instillavit, ut ad multorum stuporem hebraice & loquendi & precandi peritus fuerit: Ejus tamen privatae ac domesticæ institutionis fructus mature nimis nostro ereptus est, quum puer admodum, vix decimum ætatis annum egressus Patre ac Præceptore indulgentissimo esset orbatus.

Interim tamen a Matre vidua, ipsi perpetuo charissima & ejus studiosissima in studiorum suorum progressu minime neglectus est, sed potius summo cum ardore & fervore excitatus confirmatusque, ita ut anno præteriti seculi nonagesimo quinto, postquam *Collegium Humanitatis* ingressus fuisset, octavo, dein qui sequebatur, proventus ad subsellia fuerit academica, quam promotionem ad lectiones publicas calcaris instar adhibuit, earumque frequentatione assidua in illustri Gymnasio Tigurino linguas primum eruditas, quarum elementa jam feliciter hauserat, mox deinde Philosophiæ studia accuratius excolere, ac denique Theologicis disciplinis totum se tradere cœpit.

Præceptoribus usus est in linguis, Viris doctis-
simis, *Johanne Henrico Bulodio, Johanne Jacobo Cra-*
mero, Johanne Rodolpho Lavatero, Johanne Baptista
Ottio, Johanne Henrico Suicero, & Casparo Hoffmei-
stero.

In Philosophicis vero, Doctoribus pariter egre-
giis, *Johanne de Muro alto, Salomone Hottingero,*
Rodolpho Ottio & Jacobo Lavatero.

Sublimioris autem scientiæ, sive Theologica-
rum rerum notitiam Viris Celeberrimis, *Johanni*
Casparo Wolphio, nec non Johanni Jacobo Hottingero
debut, acceptamque tulit.

Cursu finito, quem Patria Helvetia studiorum
culturae destinare solita est, habitisque domi Dis-
putationibus binis, altera Philosophica, altera
Theologica synodali, & examine, quod ibidem
eodem tempore subiit, feliciter peracto, se ad iter
literarium accinxit, comitemque sibi adjunxit le-
ctissimum Patruelem & Amicum perquam fami-
liarem, *Johannem Jacobum Hottingerum, V. D. M.*
jam dudum ad sedes æthereas sublatum.

Omnium primo Genevam se contulit, ibique
audivit Viros venerabiles & toto orbe clarissimos,
Tronchinum, Calandrinum, Pictetum & Turretinum,
quorum tres priores in Theologicis, posterior au-
tem in Historicis proponendis tunc temporis oc-
cupati erant.

Relicta Geneva Germaniam petiit, præsertim
Marburgum, Universitatis, quæ illic est Catto-
rum,

rum, Philologos & Theologos summos, *Johannem Georgium Othonem*; *Thomam Gauterium* & *Ludovicum Christianum Miegium* in institutionibus privatis & publicis sibi Duces elegit. Penes illum, qui linguas Orientales tradebat, operam dedit Chaldaicis, Syriacis, Samaritanis, Arabicis & Persicis literis. Penes hos autem & interiora sacramentorum disciplinarum arcana ulterius perdidicit.

Musis deinde Marburgensibus valere jussis, Belgium versus cursum direxit, eo maxime consilio ut Rabbincis, Mischnicis & Gemaricis diligentius operam daret studiis. Quem in finem Amstelodamum sibi elegit, ceu urbem huic scopo maxime congruam, in qua multi & perdocti commorantur Judæi, quorum Synagogis non semel & iterum, sed crebro & arrectis auribus interfuit, quoniam eorum cultum divinum ipsemet præfens inspicere & experientia cognoscere magno opere studebat.

Sed & ibidem, postquam appulisset, & studio Thalmudico se totum consecrasset, Rabbinum, Gemaricis in literis præ cæteris versatum, multo conduxit ære, cujus etiam sub ductu, totum tractatum חגיגה cum Rabbiorum Annotationibus, in Talmude Babylonio, quod dicitur, occurrentibus, non sine sudore & labore, latine transtulit, & quæ singularis erat illius felicitas, hospitio exceptus & eruditus fuit a Celeberrimo **WILHELMO SURENHUSIO**, qui hoc ipso tempore cum in vertendo, tum in edendo Mischnico, quod adornabat opere, junctis observationibus Maimonidis & Bartenoræ non minus quam
omnium

omnium Doctorum Christianorum versionibus & illustrationibus, occupatus fuerat.

Hinc vero Leidam progressus fuit, ibique sex intra septimanas suas *Exercitationes de Incestu, Creationis & Currus opere* undecim vicibus ventilandas proposuit, quinquies sub præsidio Cl. *Jacobi Triglandii*, bis autem sub *Johanne a Marck*, & totidem vicibus sub Cel. *Hermanno Witsio*, nec non *Salomone Van Till*, Viris pariter ingenii ac eruditionis laude conspicuis.

Memoratas hasce Disertationes non longe postea, titulo *Gemarici Discursus* insignitas An. 1704. junctim prodire jussit, laborisque sui certe gravissimi & laudatissime collocati, quocum Sacrum ipsum Codicem, præprimis N. Testamenti libros dilucidare studuit, præmium insigne consecutus fuit, cum illo incio, & nihil aliud cogitante, quam ut patriæ aliquando inserviret, hoc ejus opusculum, penes Serenissimum Principem, *Carolus Primum*, Landgravium *Hasso-Cassellanum* ea diligentia a fautoribus quibusdam commendatum fuerit, ut anno dicto in literaria *Marburgensium* Civitate non modo publice docendi potestas ei fieret, verum etiam extraordinaria primum, & ordinaria postmodum, hætenus inconsuetæ, Professio *Judaicarum Antiquitatum* An. 1705. conferretur, quam summo cum applausu plures per annos gerebat, & collegia præ omnibus habuit frequentissima.

Eadem autem ex causa, in tali honoris & gloriæ fastigio constitutus, multorum sibi contraxit
invi-

invidiam, qui bonam ejus famam lædere & perdere quærebant, ita ut fere in hanc propenderet sententiam, Marburgensem hanc Stationem commutandi & accipiendi Bipontinam, quæ ipsi delata & quorsum vocatus erat, ut ibi Theologiam traderet, Cœtibusque Bipontinis concreditus præesset, & a Consiliis Ecclesiæ Ducatus hujusce foret.

Absterritus tamen gravitate muneris istiusmodi triplicis Marburgi manere decrevit, eo magis, quoniam supra dictus Serenissimus Princeps, Carolus I., suasu Patronorum & Amicorum eum minime dimittere, sed potius retinere voluerat, addito eum in finem augmento Salarii, & gratiosa permissione Collegia aperiendi Theologica, imo etiam Cathedram Theologicam qua Præses in actibus disputatoriis conscendendi, donec deinceps An. 1710. in ipsa hac cathedra Professoris Ordinarii locum & partes tenere jussus fuerit, ni fallor, eodem temporis spatio, quo fasces Academicos capefferat.

Hac in dignitate persistit ad annum usque seculi, quod agimus, decimum septimum, ceu fatalem illam periodum, quæ motibus Inspiratorum ita nominatorum sub Examen vocandis destinata fuit.

Pie equidem defunctus nullum commercium, nullam saltem familiaritatem cum hujus generis hominibus iniverat, e contra innocens repertus fuit in inquisitione eorum causa instituta. Interim tamen finito fere examine illorum, qui e Membris

bris Consistorii & Ministerii inter accusatos erant, ratione quorum ita se explicare solebat: *Utinam reatus gravior, tum accusantes, tum accusatos coram Deo non constringeret!* interim, ajo, & ipse vi & obtorto quasi collo comparere jubebatur, sed bona cum conscientia & tanta Parrhesia, ut Adversariis tela jam diu tendentibus huic insistere viæ minus consultum videretur.

Hisce igitur conatibus irritis factis aliud excogitarunt consilium perniciosum, Auctoresque erant mandati pie Defuncto dati, de conscribendo & publicando judicio suo in materia illa delicata, quæ tunc temporis Criseos rigorosæ objectum erat, videlicet de extraordinariis revelationibus sub N. Testamento.

Quoniam autem insidias subodorabatur, prætereaque jam illo tempore materias de resipiscencia, fide & amore agentes multum præferebat illis, in quibus non est ædificatio, quæque natae sunt ad excitandum lites & rixas, hinc omni studio, repetita licet, ac iterata vice injuncto mandato, nihilominus & publice & privatim ab hujus argumenti tractatione prudenter abstinuit.

Tandem autem coactus æque ac invitus, cogitata sua composuit & in lucem publicam edere incepit. Posteaquam vero quatuor tantum folia prælum reliquerant, eorum continuatio nomine Serenissimi serio ipsi interdicebatur, cui interdicto pro debita submissione obtemperabat, licet concipere non potuerit, quid suspectum aut periculosum in iisdem contentum esset. Declaratio etenim,

etenim, quam instituerat, huc unice tendebat: *Non dari sub N. T. revelationes extraordinarias, quæ Canonicis adversarentur; etiam non dari ejusmodi revelationes extraordinarias, quæ veritates fundamentales, ad salutem necessarias concernerent, ceu quæ in utroque Testamento sacro jamjam sufficienter reperiundæ essent. Interim tamen possibilem esse revelationem illorum, quæ obscuriora dogmata, vel etiam futura & peculiariora fata in Ecclesia & mundo concernerent, hac tamen cum cautela: Postremas hasce revelationes accurate inquirendas, ad lapidem lydium examinandas, & prævio sollicito conscientiæ examine vel pro veris habendas vel rejiciendas esse.*

Eum in finem pie Defunctus in manuscripto suo pluribus egerat de prudentia revelationes extraordinarias secundum characteres genuinos investigandi & explorandi, colophonem vero huic operi imposuit clara & distincta reservatione, quod revelationes tunc temporis invalescentes & controversas unicuique liberrime dijudicandas relinqueret, suum autem iudicium suspendat, siquidem neque de bona, neque de mala earundem origine convictus sit.

Sed quid unquam proferri poterit, quod Momo non carpat? Pie saltem defunctus hoc satis superque expertus est. Nam solida ista & circumspecta sua, in materia de revelationibus extraordinariis, sententia, animos hostiles neutiquam conciliavit, sed præ odio, quod fovebant, Theologico in summum affectuum impetum eos conjecit. Examen quidem, cui Defunctus se subiecerat in præsentia undecim Commissariorum ex Ordine

dine Ecclesiastico & Politico, prospere & feliciter finitum videbatur, ita ut fama boni exitus universam Hassiam permearet: Verum idem ille favor, qui a parte Status Politici luculentissime sperandus erat, Auctores contra hujus litis ex Ordine Ecclesiastico eo permovit, ut auctoritate sua abusi non verbis sed verberibus, non argumentis eorumque pondere, sed vi & violentia contra Defunctum pugnarent, talem scilicet formulam decretoriam eudentes, vi cujus Defunctus aut sententiam suam revocare, aut statione sua excedere teneretur.

Inter hæc duo, dura pariter & injusta, postremum elegit, existimans; Conscientiæ majorem esse habendam rationem, quam honoris & lucri terrestris, cum onere non exiguo conjuncti. Ideoque dimissionem suam petiit, & prouti obtinuit, ita etiam amplexus est animo sereno & placido, hilari & quieto. Conjecit quidem postea pluribus ex circumstantiis & quam verisimiliter, quod hostes sui non tam dimissionem suam, quam solummodo incussionem timoris & terroris animo spectaverint, sperantes propter minas & damnum ipsum tandem victas se daturum esse manus. Unus enim ex illis, qui omnium maxime ipsi restiterat, non modo Defunctum semel & iterum serio cohortatus est, imo obsecravit, ut supplex recuperationem sui Muneris penes Principem quærere vellet, offerens & promittens, se ipsum has preces supplices traditurum & exauditionem earundem effecturum esse, verum etiam literas dedit ad Defuncti amicos, ut illi auctores suasoresque

Tom. VI. U essent,

essent, de sparta & functione sua per preces supplices retinenda.

Defunctus autem surdus quasi & immobilis erat, contentus & solatio plenus, quod bona cum conscientia & honore coram Deo omnibusque veritatem amantibus munere suo oneroso exemptus sit. Lubentius saltem cum gravida uxore & tribus liberis adhuc educatione indigis, Hassia exire voluit, quam agere contra veritatem in timore Domini pensitatum, & cum singulari convictione non minus quam assistentia divina prorsus peculiari propositam. Per tredecim enim annos in flore ætatis vires suas in emolumentum studiosæ juventutis consumserat, & insuper ad auxiliandum pauperes Hassos, adjutus aliquot aliis amicis, Orphanotropheum Marburgense summa cum diligentia & cura, non parcens propriis, quæ divina Benignitas ipsi largita erat, bonis erexerat, direxeratque, licet institutum hoc laudabile diversis quoque judiciis & criminationibus expositum fuerit.

Deserebat ergo Marburgum & valedixit Hassiæ bono cum Deo læta & tranquilla mente, non curans, quod paulo ante dimissionem & discessionem suam gemina ipsi destinata vocatio per falsam Heterodoxiæ calumniam intercepta fuerit. Potius fatis ita volentibus, & statu Ecclesiarum Scholarumque Reformatarum in externis adeo corrupto consilium ceperat, vitæ, quod ipsi reliquum futurum esset, privatim transigendæ, & ad exemplum multorum, qui paria habuere fata,

in rure degendi, prædiumque aliquod ad sui suorumque sustentationem sibi comparandi.

Accidit autem, ut eodem fere momento, quo de firma fixaque sede sibi prospexerat, anno nempe hujus seculi decimo nono, moderatrice rerum humanarum, cœlesti Providentia, *Franckenthalensem* cœtum dirigente, Pastor primarius unanimi prope suffragio eligeretur, licet ne unicum quidem cœtus hujusce membrum de facie ipsi cognitum fuerit, quam vocationem ideo mere divinam habere, eidemque obsequium omne præstare, nullus dubitavit, cui muneri etiam ad annum, hujus seculi, vicesimum usque tertium laudatissime præfuit.

Hoc enim anno, elapsis nondum quinque annis supra dicti sui muneris in Ecclesia Franckenthalensi, nova & iterum valde mirabilis vocatio illi obtigit, cum post Celeberrimi JOHANNIS CHRISTIANI KIRCHMEJERI in Hassiam abitum & reditum ejusdem successor denominatus, adeoque in perantiqua Universitate Heidelbergensi [quam olim & Avus ejus intra spatium sex annorum, per Carolum Ludovicum Electorem Archi-Palatinum piæ memoriæ, a Laudatissimis Proceribus Cantonis Turicensis efflagitatus, condecoravit & restauravit] constitutus Theologiæ Professor ex parte Reformatorum secundarius, & præterea gregi Reformatorum ecclesiastico Petrino pascendo præfectus fuit. Aliquot deinde annis, pro statutis ejusdem Universitatis a Celeberrimo LUDOVICO CHRISTIANO MIEGIO, beatæ memoriæ, diademate doctorali exornatus, eidem-

que fatis functo in Cathedra Theologica ceu Professor primarius, & Senior Facultatis An. 1740. successit. Tredecim vicibus Decanatum Facultatis administravit, bis autem, anno nimirum 1736. & postea 1748. Rectoris Academici Dignitate positus, cuncta quæ regimen spectabant literarium, singulari cum prudentia, tum animi æquitate moderatus est & gubernavit, dumque viveret, nullo non tempore præclara ingenii, industriæ, pietatis, probitatis, *ἀνταρκειας*, humilitatis, mansuetudinis, modestiæ, moderationis, præterea candoris, studiique pacis, & erga pauperes amoris, aliarumque virtutum immortalis memoria dignarum, documenta dedit. Mihi equidem de iis tacere præstat, quam plura dicere. Interim tamen firmiter persuasus sum, omnes illos, qui Defunctum noverant, mihi facile & lubenter consensum præbituros esse, quod dotes prorsus egregias & in privatis & in publicis suis laboribus, in dogmaticis, moralibus, exegeticis, catecheticis, ritualibus & practicis exhibuerit. Parce admodum otia sibi fecit, & concatenatis licet laboribus [siquidem etiam per plures annos Inspectionem rei eleemosynariæ & Cassam viduarum ecclesiasticam eadem, si non majori cura & fide, quam res proprias domesticas administravit] functiones suas rarissime aliis demandavit. Ferias collocabat in commercio litterario, in compositione & publicatione novorum librorum, aut etiam in lectione eorum, qui ab aliis editi erant. Pietatem spirabant non tantummodo conciones & catecheses, collegia & lectiones ab illo habitæ, sed in privatis colloquiis probitati studebat infucatae, eosque sermones cædebat, qui res arduas, Theologicas aut

Eccle.

Ecclesiasticas spectabant, quamobrem Conversationes ordinarias, ad gustum hujus mundi ut plurimum institutas, quantum pote, evitabat, & visitationes ægrotorum reliquis conventibus præferebat. In adversis ut in prosperis, in tritibus ut in lætis semper erat idem, Deo suo deditus, ejusque vias demissa & grata mente venerans. Non ambiebat ulteriores honores, sed eos oblatos omni modo detrectavit. Aliàs forsitan & in Palatinatu, & in Patria Helvetia, nec non alibi promotiones recentiores expectare potuisset. Nihil minus amabat, quam titulorum ambagen, & ceremoniarum, seu complementorum [quæ completa mendacia nuncupare solebat] farraginem. Modestiam ejus mirabantur & infimæ sortis homines, quibus non minus quam elatis honorem debitum tribuendum esse sentiebat. Habuerit licet, qui male ipsi cuperent, nihilominus ab omni vindictæ studio alienus erat, & his quoque ut aliis promptum inserviendi studium omni data occasione testatus est. Modice de se ipse loquebatur, & prouti verba protulit, ita quoque affectus erat in intimis cordis sui visceribus. Nam hypocriseos & fraudis omnis generis insensibilissimus erat hostis, respuens mendaces & falsos, laudans vero Nathanaëles, columbina simplicitate præditos. Non erat quidem Nicodemus, veritati nihilum detrahebat, erroribus & nævis non parcebat: Interim autem ejus pacis studium laudant & laudabunt Theologi pariter Lutherani, æque ac alii, qui diversa sacra sequuntur. Et quot lachrymæ a pauperibus, quibus decimam minimum partem omnium suorum reddituum, modo per pecuniam, modo per libros, vestes, panem, lignum, alia-

que hujus vitæ necessaria tam accurate destinavit & dispertitus est, quasi debitum non donum esset, post obitum ejus effusæ fuerint, id Deo maxime & post illum toti Urbi Heidelbergensi notum est.

Ut vero etiam matrimonium ejus attingam, prima vice illud contraxit An. 1705. quippe quo Summi Theologi Marburgensis, REINHOLDI PAULI, S. Theol. Doct. et Prof. Celeb. nec non Pastoris fidelissimi, laudatissimam duxit filiam natu minorem, *Adelheidam Ursulam*, oriundam e stirpe valde inclyta *Tossanorum* et *Miegiorum*, quæ et ipsa eximia in Deum ac proximum pietate, singularique animi mansuetudine et virtute omni civili et christiana, non modo muliebri et vulgari, sed virili prædita fuit atque etiam doctrina [cum hebraicam æque ac latinam linguam calleret, et in priori Psalterium quotidie legeret] magnopere excelluit. Fida hæc thori socia et conjux amantissima, [Anno hujus seculi trigesimo tertio vitæ curriculum finiens,] duos ei natos, quatuorque natas peperit, e quibus unus solum adhuc natus, nataque pariter una superstes est, nepotes autem aliquot etiam nunc in vivis agunt, duo videlicet e latere filiae natu maximæ, jam per quinque annos demortuæ, *Salome Louyse*, quæ nuptui data erat *Johanni Carolo Josepho*, Pastori Ecclesiæ Mannheimensis vigilantissimo, unus deinde e copula conjugali filiae inter reliquas junioris, *Charlottæ Catharinæ Elisabethæ*, consimiliter jam ante trium annorum spatium factis functæ, non sine summa tristitia superstitis mariti, *Johannis Henrici Gesneri*, Diaconi Bülacensis

sis in Ditione Tigurina fidelissimi. Filia vero numero secunda, *Dorothea Margaretha*, conjux charissima Pastoris in cœtu Feudenheimensi, Manheimium prope adjacente, meritissimi, *Ottonis Valentin* cognominati, nullos hæredes, nullosque proin nepotes, superstes licet, in lucem edidit. Quatuor e contra nepotes, quam diu Deo visum fuerit, in vivis restant e filii residui unici, *Abelis Adami*, inito connubio, cum *Susanna Catharina Henrietta*, filia natu maxima, *Johannis Jacobi Abegg*, apud Heidelbergenses olim in Templo Petrino Evangelii Præconis munere summa cum laude defuncti.

Hæc ergo gaudia, hanc conjugalis benedictionis et felicitatis temporalis partem non minimam obtinuit, de qua Psalter canit: *Tua conjuge conjux contenta, nepotum dabit agmina patri. Avus ipse nepotes lætabere cernens.*

Secunda vero vice sibi junxit, quæ maritum modo luget amissum, *Annam Felicitatem*, Præfecti Tabulario Senatus Ecclesiastici Archi. Palatini, *Petri Jardin*, Viduam, qua cum, sine liberis quidem, summam interim concordia ac suavitate annos XV. et menses aliquot exegit.

Summopere etiam procul dubio gavisus fuisset, si prævidere potuisset, lusum providentiæ divinæ admodum mirum, quo factum est, ut filius superstes in ejus locum successerit, qui ipsi Defuncto successor in utroque munere datus est, & quem adhuc vivus, post obitum Clarissimi *Miegii* qua Collegam primitus selectum, ardentibus votis desideraverat,

Johannem, scilicet, *Jacobum Wundium*, hactenus Ecclesiae Crucenacensis Pastorem Primarium, et Classis Inspectorem cæteris paribus dignissimum.

Transeo tandem ad Patris optimi ultimas horas, diemque ejusdem extremum, qui mensis, hujus anni, Aprilis septimus fuit.

Ex quo enim novissimo Paschatis die festo primo verba publice fecit, atque diem ad alterum se præparavit, ut eodem suas obiret partes, nocte priorem diem insecuta correptus est frigore, quod febrilis excepit æstus, quem catarrhalis maligna febris, seque jungens illi tanta virium prostratio comitata fuit, ut mox apparuerit, ipseque senserit, optatum adesse tempus ἀναλύσεως, quod jam pridem antea cogitarat assiduo, quodque crebro tam publice, quam privatim se opperiri, liquido satis prodiderat.

In motibus quidem febrilibus multa verba fecit de itinere terrestri ad Generum suum Feudenheimensem. Sed motibus hisce finitis clare satis se explicuit, aliud sibi meditandum esse iter ad Patrem nostrum omnium, cujus Communionem atque amplexus quam vehementissime anhelet. Valedixit hinc suis paterno affectu, eisdem etiam, benedictione breviter quidem, largiter tamen et paterne effusa, monitum dedit, de bonis, quæ linquat, terrestribus, in amore et pace distribuendis.

Ingentis porro in Deum fiducia et alacritatis exemplum omnibus eum invisentibus præbuit, morteque vere christiana comprobavit, se intime
de

de iis esse persuasum et convictum, quæ vel in Ecclesia, vel in Academia docuerat. Ne semel quidem conquestus est de doloribus, licet conspicuis, sed mirificam patientiam, ac animi in Dei Voluntate acquiescentis subjectionem ad postremum usque halitum exeruit.

Solitudinem sæpissime sibi expetiit, ne turbaretur in devotione sua, et propter linguam peccatoris æstum debilitatam non multa proferre potuit, vel saltem prolata quoad plurimam partem non erant intelligibilia. Quæ autem intelligi poterant, abunde indicabant, cor ejus cœlitus directum esse, et cum Deo suo familiariter conversari. Perfectiones enim divinas audiebatur extollens, meritum Christi adorans, agnoscens et colens vias Numinis circa se a prima juvenia ad proVectiorem ætatem admirandas omnes, ut gratiosas, ita etiam eas, quæ attendentibus duriores et difficiles visæ erant.

Interdum filio suo præceptum dederat de legendis capitibus quibusdam e Literis Sacris, inter quæ ipsi perplacuerant primum et sextum Caput Epistolæ ad Hebræos, una cum duodecimo Capite libri Coheleth, Ecclesiastes dicti.

Hæc ideo filius repetita vice pro voluntate Patris optimi in lingua originali æque ac vernacula prælegerat, prælectione autem finita Pater optimus inter continuos licet adversæ valetudinis incurfus nihilominus summo cum zelo, aviditate & industria, non sine defatigatione corporis pro-

strati, illustrationes observationesque varias cum monitis plane egregiis addiderat.

Adstantes ad lectum omnes, præsertim etiam illos, qui e cœtus membris penes eum vigilabant, amice & emphatice ad ambulandum in viis Dei excitaverat, habitis media quoque in infirmitate actibus quasi concionatoriis & catecheticis.

A Collegis suis in Ministerio Ecclesiastico visitatus & Discursu Theologico sustentatus lætitiâ capiebat prorsus singularem, illisque sanitatis suæ pristinæ restitutionem optantibus, respondebat: Se Fata sua gratiosissimo, sapientissimo, potentissimo rerum nostrarum gubernatori Jesu Christo submississime committere: Interea cum Jacobo gemere: Jehova! exspecto salutem tuam. Collegæ inprimis in utroque munere conjunctissimo, Celeberrimo CHRISTIANO BRUNINGS, postquam ille ultimo mane preces pro & cum ipso fuderat, denudato Capite in nomine Dei Triunius, Patris, Filii & Spiritus S. cœtum equidem univèrsum, maxime autem Juventutem ad institutionem usui S. Cœnæ antecedaneam, quæ illo temporis spatio pie nunc defuncto ordine suscipienda fuerat, & de qua summopere sollicitus erat, ex intimo cordis affectu commendavit & non aliter quam in manus tradidit.

Cæterum per totum illum diem silentio usus est Deo suo sacro, & supra dicti diei prima post mediam noctem hora, cum somno, sed quieto, placidoque se dedisset, momentis postea adhuc aliquot spiritum ducens, sub acclamatione Uxo-
tis

ris charissimæ: *Veni, o Jesu! & recipe seruum tuum,*
 [quæ verba & vota etiamnum intellexit, distin-
 ctoque echo: *Fiat ita, comitatus est*] tranquillus
 expiravit, annosque natus sexaginta & octo,
 quinque menses binosque dies vivere desiit.

Sed quid ajo? Flebilis quidem nobismet omni-
 bus occidit, ac triste sui desiderium reliquit. In-
 terim autem minime vivere desiit, sed potius in
 longævam & sempiternam vitam transpositus est.
 Æterna cum caducis commutavit, & cathedram
 cœlestem occupavit, in qua non amplius excla-
 mabit: *O quantum est, quod nescimus!* Vivit etiam
 & vivere perget ad seram usque posteritatem in
 vestigiis doctrinæ & fidei eximiis, quæ reliquit in
 scriptis suis numero pluribus & non minus pon-
 dere.

Coronidis loco hinc adjiciam Scripta piæ Defun-
 cti edita & inedita.

Edita sunt:

I. *Philologica, & quidem*

1. Undecim Disertationes Gemaricæ Lugduni
 Batavorum habitæ An. 1704.

Memoratae Disertationes conjunctim editæ
 loco & anno dicto apud Jordanum Luchtmanns
 sub Tit. *Discursus Gemaricus de Incestu, Creationis*
& carrus opere ex Codice הגנה Cap. II. Mischna I.
 petitus.

2. De Jure Plantæ Quarti Anni juxta Levit.
 XIX: 24. Marburg. 1704.

3. De

3. De Trina Comparitione Israë'itarum coram Deo singulis annis. Ibid. 1706.
4. Duæ Disertationes de Origine Sacrificiorum contra Spencerum Anglum. Ibid. 1706.
Prostant etiam in Museo Helvetico Part. II. p. 281. & Part. III. p. 341. seq.
5. De Functionibus Laicorum circa Victimam. Ibid. 1706.
6. De Functionibus Sacerdotum circa Victimam. Ibid. 1706.
7. De Sacrificiis Avium. Ibid. 1706.
8. De duabus Avibus Leprosi mundandi. Ibid. 1706.
9. De Viris Stationariis. Ibid. 1707.
10. De quatuor Mosaici Tabernaculi Tegminibus. Ibid. 1708.
11. Duæ Disertationes de Usu salis in cultu sacro. Ibid. 1708.
12. De fertis infermentatis. Ibid. 1708.
13. Disertationes octo de Ministerio Diei Expiationis juxta Levit. XVI. Ibid. 1708. & 1709.
14. De solenni Legis Prælectione septimo quovis Anno repetita. 1709.
15. Notæ in Th. Goodwini Mosen & Aaronem.
Ed. I. Marburgi. 1710.
Ed. II. Ibid. 1716.
Ed. III. Lugduni Batavorum. 1724.
Eædem quarta vice edendæ cum Appendice de Sacrificiis, Fertis, Libaminibus, Integritate Victimarum, quæ culpa Bibliopolæ nondum Lucem viderunt.

II. *Theologica, Lingua Latina publicata.*

16. De Theologia in Genere. Marburgi. 1711.
17. De

17. De Scriptura. Ibid. 1711.
18. De Existentia & Essentia Dei. Ibid. 1712.
19. De Decretis Dei. Ibid. 1712.
20. De Servo Dei Electo ad ductum Es. XLII:
1. Ibid. 1709.
21. Disertatio Textualis in Zach. XIV: 20. 21.
Ibid. 1711.
22. De Gloria Nominis Jehovah ad ductum
Malach. I: 11. Ibid. 1711.
23. De Diluvio Noachi. Heidelb. 1731.
24. De Victimarum Integritate ac Mysterio.
Ibid. 1731.
25. De Sacerdotum Aaronicorum Integritate ac
Mysterio. Ibid. 1735.
26. Specimen Prælectionum publicarum Analy-
tico - Philologico - Theologicum prolixius in
Gen. IX. Spiræ. 1732.
27. Specimen Prælectionum publicarum Analy-
tico - Philologico - Theologicum concisum in
Cap. VI. Exodi. Heidelb. 1732.
28. De genuinis Beatorum Characteribus ad du-
ctum Ps. CXIX: 1. 2. 3. Ibid. 1735.
29. De Viis & Gressibus primis ad veram Beati-
tudinem juxta ductum Ps. CXIX: 4. 5. Ibid.
1740.
30. De Religione, speciatim Christiana. Ibid.
1737.
31. De Scriptura S. Ibid. 1738.
32. De Dei Existentia, Essentia, Perfectionibus
& Virtutibus divinis. Ibid. 1743.
33. De Mysterio Trinitatis. Ibid. 1744.
34. De Creatione in Genere & Specie. Ibid.
1747.

35. De

35. De OEconomia Spiritus S. in applicanda salute. Francof.
36. De OEconomia Ministrorum Evangelicorum. Ibid.
37. De Spiritu S. certissimo Doctore ac Vindice Veritatum Christianarum in cunctis veris Christianis ad ductum Johannis 1. Ep. II: 27. Heidelberg. 1742.
38. De larga Spiritus S. sub N. T. effusione juxta Joh. VII: 37. 38. Heid. 1746.
39. Apologeticus pro Expositione Legis Levit. XXI: 22. contra Joh. ab Hamm, Professorem Duisburgensem. Francof.
40. Typus Doctrinae Christianae, sive integrum Systema Didacticum. Francof. 1714.
41. Theologia Morum Generalis. Marb. 1715.
Eadem recusa, curis posterioribus mutata, aucta & faciliori Methodo disposita. Turici. 1748.
42. De Inspectione sui ipsius. Marb. 1716.
43. De Officiis erga Deum, Proximum & se ipsum. Spiræ. 1725.
44. Typus Studiosi Theologiae. Basileae. 1738.
45. Typus Pastoris Evangelici. Ibid. 1741.
46. Scripturarium & Rationale Examen Ideae Nomothetae Ecclesiasticae Systematis Hierarchici fundamentis innixae, contraque Hypotheses & Crisin Puffendorffii, Pfaffii, Böhmeri aliorumque modeste, ut Auctor scribit, asfertæ, institutum in Prælectionibus Publicis 1744. deinceps vero per quatuor Sectiones publicatum & insertum Mus. Helvet. Part. VI. IX. XI. & XII.

III. Theologica, Lingua Germanica, publicata.

47. Christliche Barmherzigkeit, samt Nachricht von dem neu angelegten Waisen-Haus in Marburg. 1715.

48. Historia facti, oder kurze und wahrhaftte Erzählung, was sich mit Job. Heincr. Hottinger, gewesenem Prof. Theol. & Antiq. jud. Ordin. bey der Hessischen Universität zu Marburg Theologischem Bedenken von den ausserordentlichen Offenbarungen insgemein, und von einigen heutigten so genannten Inspirierten insbesonder, welches er auf wiederholten Hochfürstlichen Befehl hat aufsetzen müssen, zugetragen. 3. Bogen.

Von dem Bedenken selbst sind nur 4. Bogen getrukt, und das übrige ist noch im MSC. vorhanden.

49. Moses & Aaron pro publico Religionis Reformatæ Exercitio in Territorio Lutheranò. Büdingen. 1723.

50. Hoffnung der Bekehrung der Juden nach Hoseæ III: 5. Homb. 1733.

51. Kinder-Speiß, oder Catechismus sexta vice editus zu Jhstein, Schaffhausen, St. Gallen, Homburg vor der Höhe, Bern und Frankfurth.

52. Lazarus, oder Christlicher Unterricht von den Pflichten der Armen. Frankfurth. 1740.

53. Manual, oder Anleitung, wie ein Christ den ganzen Tag vor Gott wandlen solle; Ist öftters und an mehreren Orten getrukt.

54. Gespräch von den Pflichten der Kindern. Jhstein. 1721.

55. Pres

55. Predigten über 1. Chron. XXX: 28. Matth. VII: 24 - 27. Luc. XIII: 4. 5. Joh. IV: 24. Coloff. II: 9. 10. 2. Cor. V: 19. 20.

56. Theologisches Bedenken, betreffend die Frage: Ob ein Wiedergeborener ganz und gar nicht mehr sündigen könne, auf Begehren aufgesetzt wider Johann Christian Edelmann.

57. Das ganze Loos eines wahren Gläubigen, Geist, Seel und Leib. Basel. 1746.

It. Responsoræ ad innominatum Auctorem Dissertationis Epistolicae in 1. Thess. V: 23. de tribus Hominis cœlitus renati partibus. Vid. Mus. Helv. Part. IV. p. 553. seq.

IV. *Consilio & Cura ejus edita:*

58. Joh. Engelh. Steuberi Dissert. de Primogenitis.

59. Joh. Conr. Hottingeri Dissert. de Benedictione Sacerdotali ad ductum Num. VI: 24. 27.

60. Joh. Phil. Widderi auserlesene Predigten. Homburg vor der Höhe. 1736.

61. Sal. v. Till Methodus concionandi. Marb. 1711. & 1741.

Inedita tandem, & ex parte ad prelum usque elaborata, sunt sequentia:

1. Ministerium solennis Expiationum Diei juxta ductum Legum Mosaicarum, maxime Capitis XVI. in Levitico Translatorie, Analytice, Exegetice & Mystice plenius tractatum.

2. Evangelische Gewissens-Freyheit aus Heiliger Schrift, gesunder Vernunft, Betrachtung der

der Natur des Menschen, auch Geist, und
 Obrigkeitlichen Standes dargethan.

3. Prælectiones in XV. Capita priora ex Genesi.
4. Prælectiones in XXI. Capita priora Exodi,
 nec non Exod. XXIII: 20. - f.
5. Prælectiones in Pf. CXIX. tot. Completæ
 scil. quoad Partem Exegeticam, non autem
 Porismaticam.
6. Prælectiones in tres Epistolas Johannis.
7. Prælectiones de Theologia Christiana selecta
 ad Matth. XI: 25. - 28. XV: 1. - 10. XVI:
 17 - 24. XVII: 1. - 9. XIX: 3. - 9. XXVIII:
 18 - f. Joh. XVI: 12. - 16. 1. Cor. II: 6. - 15.
 Col. II: 6. - 11. Ibid. 18. - f. 2. Petr. I: 19. - f.
8. Prælectiones in c. V. Epistolæ ad Romanos.
9. Prælectiones in Phil. III: 4. - 12.
10. Thesium Theologicarum Caput V. De De-
 cretis. Cap. VII. De OEconomia Filii Dei.
 Caput X. & ultimum de Statu Hominis tripli-
 ci, Integritatis, Lapsus & Restitutionis.
11. Vindiciæ Sacræ Veritatum Fundamentalium
 in Ecclesia Protestante, scil. Scripturam S. esse
 Normam & Judicem in Rebus Religionis Chri-
 stianæ controversis, Judicem vero humanum,
 visibilem, supremum, infallibilem, qui Au-
 ctoritate sua omnes Fidei quæstiones decidere
 valeat, & in cujus decisione alii simpliciter ac-
 quiescere debeant, non dari, oppositæ Disser-
 tationi Canonico - Juridicæ de Officio Judicis,
 & propositæ in Prælectionibus publicis An.
 1738.
12. Prælectiones [postremæ & per mortem ab-
 ruptæ] de gloria Domini nostri Jesu Christi
 Tom. VI. X juxta

juxta 2. Col. III: 18. Luc. I: 35. II: 1. & seq.

Silenzio prætereo Conciones fere innumeras, quas pie Defunctus literis quidem mandavit, ob negotiorum molem autem lectu intelligibiles procurare non potuit, plures etiam mancas & mutilas relinquere debuit, illis exceptis, quas Francothalix adhuc composuit. Idem etiam tenendum est de tot aliis meditationibus privatis, quæ alias dignæ essent, ut ab interitu liberarentur.

Vale hisce, & fave, Benevole Lector!

